CHRONICON

AD ANNUM CHRISTI 1234 PERTINENS

I

PRAEFATIO.

I. — Chronicon anonymum *ad annum Domini 819 pertinens*, in antiquo codice mediante saeculo nono exarato, invenit et exscripsit, anno 1911, doctus vir Aphram Barsaum, tunc monachus, nunc ecclesiae Antiochenae Iacobitarum patriarcha.

Chronici auctorem vitam religiosam egisse in monasterio Cartaminensi innuunt notitiae plurimae quae res huius coenobii peculari studio narrant. Hoc Chronicon fere ad verbum exscripsit auctor alterius Chronici, ad annum 846 pertinentis, quod vulgavit cl. vir E. W. Brooks inter *Chronica minora* (huius seriei, t. iv, p. 121-180).

II. — Chronicon *ad annum Christi 1234 pertinens* bipartitum est : liber prior de rebus profanis, alter de rebus ecclesiasticis tractat.

Scriptum fuit ante medium saeculum decimum tertium. Auctor, cuius et patriam et nomen ignoramus, narrat se Hierosolymis fuisse cum Salaheddinus sanctam civitatem expugnaret, anno 1187 ; asserit etiam se comitem adfuisse maphriano Gregorio, Michaelis nepoti ex fratre, cum ille Sigarae degeret anno 1189. Videtur ergo fuisse monachus patriachae genti addictissimus, ac proinde suspicamur eum religionem professum esse in celebri monasterio Barsumae prope Melitenam.

Opus enim ibidem compositum fuisse non temere conicias, si quidem eo tempore vix alibi copiam librorum, qui praesto fuerant Michaeli defuncto patriarchae, invenisset auctor ; nec aliunde quam ex archivio domus patriarcalis instrumenta quaedam, ut sunt monita Michaelis et eiusdem testamentum, eruere potuisse videtur.

Codex in quo servatur Chronicon, hucusque unicus, non est autographus, sed quantum ex scriptura iudicare licet, circa

finem saeculi decimiquarti exaratus est. Integer constabat ille codex fasciculis sexaginta; sed iniuriam temporis multum passus est. Fasciculi plusquam decem exciderunt, et ex eis qui supersunt, sunt qui folia amiserunt, alii plura alii minora. Pars codicis quae historiam ecclesiasticam referebat gravius passa est. Accuratam descriptionem editioni nostrae syriaci textus praeposuimus.

Exstat codex Constantinopoli, in privata possessione h. v. Petri Fehim, qui licentiam libri vulgandi mihi in scriptis humaniter concessit.

Cum autem translatio nostra non in commodum philologorum, sed potissimum ut curiosis rei historicae satis fieret, elaborata est, nominum propriorum vulgarem formam saepius adhibuimus, et non raro latina desinentia, ambiguitatis vitandae causa, arabica nomina donavimus. Ita olim fecerunt Erpenius, Reiske aliique eruditi qui chronica arabica latine verterunt. Id nonnullis lectoribus minus placiturum non ignoro; ab eis condonationem peto.

Viri duo, ex eis sane qui iura aliena parvi pendunt, me ne monito quidem, partem satis amplam editionis meae anglice verterunt et versionem ediderunt anno 1933 in ephemeride *Journal of the Royal Asiatic Society.*

Interpretationem alterius voluminis mox in lucem prodituram spero.

I.-B. Ch.

Scribebam Parisiis, kal. febr. anni MDCCCCXXXVII.

CHRONICON ANONYMUM

AD ANNUM DOMINI 819 PERTINENS

VIRTUTE DOMINI NOSTRI SCRIBIMUS NARRATIONEM QUAE OSTENDIT COMPENDIOSE RES GESTAS VARIIS TEMPORIBUS, A CHRISTO USQUE NUNC.

Anno 308° Graecorum, conceptus est [Christus]; natus est autem anno 309°. Crucifixus est anno 3[..].

Et anno 37[.], martyrium passus est Paulus, Romae, *die* quinta *mensis* tammūz. Amputatum est caput eius gladio, iussu Neronis imperatoris. Simon autem delineavit aedificationem ecclesiae Antiochiae, et ipse fuit patriarcha primus annos viginti quinque. Et cum ivisset Romam, *ibi* crucifixus est inverso capite, iussu Neronis, *die* vicesima octava *mensis* kānūn prioris, eodem anno quo martyrium passus est Paulus.

Et anno 400°, aedificavit Abgarus rex monumentum sepulcrale quod est Edessae.

Et anno 449°, defecit Marcion ab Ecclesia.

Et anno 465°, *die* undecima *mensis* tammūz, natus est Bardesanes.

Et anno 513°, fuit inundatio magna Edessae; peremit plus quam mille homines.

Et anno 551°, natus est Manes.

Et anno 614° [1], corruit murus Edessae, diebus Diocletiani.

Et anno 624°, posuit Cyrus (Qūrā [2]) * episcopus, fundamenta ecclesiae magnae Edessae; absolvit eam Ša'dut episcopus, eiusdem successor. Et post hunc factus est episcopus Aitallaha, qui coemeterium, et latus orientale ecclesiae aedificavit.

* p. 4.

Et anno 637°, congregata est synodus CCCXVIII *episcoporum* Nicaeae, diebus Constantini imperatoris victoris, ob Arium impium.

[1] Sic legendum cum *Chr. Edess.* Auctor noster habet « 654 »; quia legerat ܬܢܕ pro ܬܝܕ. — [2] *Chr. Edess.*: « Qūnē », Conus.

Et anno 644°, diebus Maximiani persecutoris, martyrium subierunt Sergius et Bacchus opera Antiochi; Mar Sergium quidem currere fecit super aculeos ferreos per viginti et octo milia *passuum*.

Et anno 649°, mortuus est Mar Iacobus episcopus Nisibis civitatis.

Et anno 654°, factus est Abraham episcopus Edessae; et aedificavit aedem Confessorum, quae est in regione septentrionali.

Et anno 660°, aedificata est Amida *civitas* a Constantino [1] filio Constantini magni.

Et anno sequenti aedificata est Tella-Mauzelat.

Et anno 667°, claruit Abraham Kidonaya.

Et anno 672°, mortui sunt Vologesus episcopus Nisibis, et Abraham episcopus Edessae; et pro eo, ex *urbe* Ḥarran Edessam venit Barsē episcopus, iussu imperatoris.

Et anno 674°, mortuus est Iulianus impius in Perside; et regnavit post eum Iovinianus menses octo, qui tradidit Nisibin Persis; et regnavit post eum Valentinus [2] magnus cum fratre suo Valente.

*p. 5. * Et anno 678°, migravit ex hoc saeculo Iulianus Saba.

Et anno 684°, mortuus est Mār Ephrem doctor, die nona mensis ḥazīrān. Et mense ēlūl eiusdem anni, Edessae Orthodoxi persecutionem passi sunt ab Arianis.

Et anno 689°, occupaverunt Orthodoxi ecclesiam edessenam *recuperatam*; et factus est episcopus Eulogius, qui aedificavit templum Mar Domitii.

Et eodem anno, regnare coepit Theodosius maior, qui aedificavit Rhesainam *civitatem*, in regione Osrhoena.

Et anno 693°, diebus eiusdem Theodosii, congregata est synodus centum et quinquaginta episcoporum Constantinopoli, ob impium Macedonium qui Spiritum sanctum creaturam esse blasphemavit.

Et anno 698°, mortuus est Eulogius episcopus Edessae, feria sexta Crucifixionis. Et factus est pro eo *episcopus* Cyrus

[1] Sic cod.; lege « Constantio », cum *Chron. Edess.* — [2] Sic; lege « Valentinianus ».

(Qūrā), cuius tempore corpus Thomae apostoli advectum est, et depositum fuit Edessae, in ecclesia *ei dicata*.

Anno 706°, mortuus est Theodosius maior.

Et eodem anno ingressus est Arcadius urbem Constantino-
5 polim; et etiam ingressi sunt Hunni [1] Romanorum dicionem.

Anno 708°, aedificatum est monasterium Cartaminense, curis Mar Samuelis archimandritae primi, et Mar Simeonis, eius discipuli; cui angelus de nocte delineationem et mensuras fundamentorum monstravit.

10 Et anno 710°, stetit Iohannes Chrysostomus.

Et anno 714°, Theodorus * Mopsuestiae claruit, interpres * p. 6. Scripturarum. Per id tempus etiam 'Apsamya presbyter, sororis Mar Ephremi filius, doctor claruit: sermones fecit de adventu Hunnorum.

15 Et anno 720°, factus est Diogenius episcopus Edessae; et aedificavit templum Mar Barlahae martyris.

Et anno 721°, factus est Cyrillus archiepiscopus Alexandriae.

Et anno 723°, factus est Rabulas episcopus Edessae; et aedi-
20 ficavit templum Mar Stephani martyris, quod erat synagoga Iudaeorum.

Et anno 732°, stetit Eutyches archimandrita, haereticus.

Et anno 733°, martyrium passus est Mar Iacobus intercisus, apud Persas. Fuit autem ex Lapaṭ civitate Huzitidis.

25 Et anno 740°, claruit Andraeas samosatenus.

Et anno 741°, pulverem caelum pluit in universam terram.

Et anno 742°, congregata est synodus ducentorum et viginti *episcoporum* Ephesi, diebus Theodosii minoris, ob impium Nestorium.

30 Et anno 746°, mortuus est Rabulas Edessae *episcopus*. Ei successit Hibas haereticus. Hic aedificavit magnum templum Apostolorum.

Et anno 756°, factus est Dioscorus archiepiscopus Alexandriae. Et congregata est synodus altera Ephesina, diebus eius-
35 dem Theodosii.

[1] Cod., male, « Graeci ».

Et eodem anno, evacuatum est sepulcrum[1] monasterii Car-
*p. 7. taminensis, et inventae sunt in eo * calvariae numero quadringentae octoginta et tres, cum capite Mar Samuelis archimandritae primi; et depositus est post eos defunctus primus Mar Iohannes edessenus. 5

Et anno 762°, congregata est synodus Chalcedonensis, diebus Marciani imperatoris, praetextu Dioscori qui receperit Eutychen, sed re vera ad instaurandam doctrinam impii Nestorii, utque Christo duas esse naturas profiterentur.

Et anno 769°, mortuus est Hibas. Et ei successit Nonnus, 10 qui aedificavit Edessae templum Mar Iohannis Baptistae, et monasterium Mar Cosmae, et nosocomium ad eius latus.

Et anno 770°, mortuus est Marcianus imperator. Et regnavit post eum Leo. Is aedificavit Callinicum.

Et anno 771°, defunctus est Mar Simeon stylita. 15

Et anno 781°, venit locusta plurima. Et fuit terrae motus ingens; aruerunt thermae Abarnē; etiam eversa est Nicopolis et obruit incolas suos, praeter ecclesiam et episcopum qui in ea erat. Et signum tenebrosum[2] apparuit in caelo.

Et anno 795°, Mar Iohannes pilosus, e monasterio Cartami- 20 nensi, ordinatus est metropolita Amidae; aedificavit in ea ecclesiam magnam et gloriosam Quadraginta martyrum, et extra eam pontem magnum supra Tigrim.

Et anno 814°, Cavades rex Persarum venit Amidam eamque obsedit nonaginta et septem dies. Mense autem ēlūl eiusdem an- 25
*p. 8. ni venit et obsedit * Edessam; templum Mar Sergii quod est extra civitatem, et ⌈basilicam[3] aquilonarem templi Confessorum incendit, sed nihil aliud damni huic *civitati* intulit.

Et anno 823°, ordinatus est Mar Severus patriarcha Antiochiae, *die* decima sexta *mensis* tešrin posterioris; egit autem 30 in sua sede annos sex et in exsilio annos viginti.

Et anno 829°, mortuus est Anastasius imperator, vir ......[4], et ei successit Iustinus[5] ......[4] et accepit uxorem eius. Et re

[1] Ad litteram « aedes arcarum »; cf. infra, ad annum 954. — [2] Sic textus; sed e *Chron. Edess.* restituendum est « signum hastae simile ». — [3] Sic interpretandum e *Chron. Edess.* — [4] Lacuna unius vocis. — [5] Cod., ut saepius apud syros scriptores, « Iustinianus »; at non solum nomina, sed etiam personas confundit auctor; cf. *Chronica minora*, t. IV, p. 108, n. 1.

......[1] synodum Chalcedonensem......[1] ut persequeretur Orthodoxos. Et anno ......[1] eius regni, adscendit ......[1] in regionem Chaborae et Balissi *fluminum*.

Et anno 830°, eiiciebat *imperator* Mar Severum Antiochia, Mar Xenaiam Hierapoli, Anthimum Constantinopoli et Theodosium Alexandria.

Et anno 831°, venit Patricius, ut eiceret Paulum Edessa; et urgebat eum ut unum e duobus ageret: aut nempe synodum chalcedonensem reciperet et remaneret in sede sua, aut recederet ab ecclesia; et, cum neutrum admisisset, ad baptisterium confugit ibique consedit. Cum autem videret Patricius eum non assentire, et mandatum imperatoris urgere, vi adhibita, eum eiecit Seleuciam. Tum iussit imperator ut ad sedem ipsius reverteretur, sperans eum sententiam mutaturum, at cum non mutaret, pepulit eum in exilium. Ei successit Asclepius. Hic vero eiecit ⌈monachos Orientales[2] et singulos qui synodo chalcedonensi non adhaerebant.

Et anno 832°, die nona mensis tešrīn posterioris, migravit ex hoc saeculo Mar Iacobus Sarugiensis, doctor; fuit autem episcopus annos duos cum dimidio.

*Et anno 835°, martyrium passi sunt Homeritae. *p. 9.

Et anno 836°, factus est terrae motus vehemens, et eversa est Antiochia; obruta sunt in ea ducenta et quinquaginta milia hominum. Iussit Iustinianus ut reaedificaretur et vocaretur Theopolis. Obrutus est in ea Euphrasius patriarcha, qui erat chalcedonensis. Cum esset in triclinio, cecidit in cadum picis, qui erat in taberna inferiore, et mortuus est in hoc motu; eius loco factus est Ephremus filius Apiani, persecutor, Amida oriundus; et Bar Chili cum eo *persecutionem excitavit*[3]. Et terrae motu mortuus est quoque Antiochiae Asclepius edessenus *episcopus*. Ei successit Andreas.

Eodem anno signum hastae simile visum est in caelo.

Et anno 843°, facta est pax inter Persas et Romanos [opera Rufini] [4]; et protracta est pax usque ad annum 851. Tunc

[1] Lacuna unius vocis. — [2] *Chr. Edess.*: « monachos *monasterii* Orientalium ». — [3] Aliquid huiusmodi excidisse videtur; cf. MICH. SYR. *Chron.*, l. IX, cap. XIX. — [4] Vel: « Rufini et Hermogenis », si spatium permittit. Cf. PSEUDO-ZACH., lib. IX, cap. VII.

enim eam solvit Chosroes rex et ingressus est fines Romanorum, [et populatus est civitates] Romanorum, Antiochiam, Suram, Halebum; et Edessam reversus est, sed nihil damni ei intulit; at pependerunt ei primores quinquaginta κεντηνάρια auri, et abiit.

Et anno 849°, mortuus est Mar Severus, patriarcha, die octava *mensis* šebaṭ; et, iubente Iustiniano, factus est patriarcha pro eo Paulus, vir Iudaeus et perversae mentis; et post hunc, Euphrasius[1] bar Malaḥē[2].

Et die quarta *mensis* tešrīn posterioris, anni sequentis, mortuus est archimandrita Mar Iohannes bar Aphthonii, qui scripsit historiam et cantilenas de Mar Severo.

Et *eodem anno, die* sexta *mensis* šebaṭ defunctus est Iohannes bar Curasi[3], episcopus Tellae Mauzelat.

*p. 10. * Et anno 859°, qui fuit annus vicesimus Iustiniani, decessit e mundo Theodora; et coepit Iustinianus persequi christianos, ob opinionem chalcedonensem. Conspicuus erat hoc tempore Anthimus patriarcha.

Et anno 879°, defunctus est Mar Iacobus Pesilthae, et Mar Iohannes pilosus, e monasterio Cartaminensi. Rexit autem episcopatum, tempore persecutionis, ille Mar Iacobus annos triginta tres. Instituit autem presbyteros, secundum numerum in eius chartulis inventum, centum et duo milia[4], et viginti septem episcopos, et duos patriarchas.

Et anno 891°, adscenderunt iterum Persae et incenderunt monasterium Cartaminense, et Tellam, et Ḥarran, et Edessam.

Et anno 902°, mortuus est Mar Petrus, patriarcha Antiochiae; ei successit Mar Iulianus eius discipulus; et post hunc fuit Mar Athanasius.

Et anno 910°, venit Domitianus, episcopus chalcedonensis, qui persequebatur fideles et eis, vi adhibita, oblationem dabat.

Et anno 912°, factae sunt tenebrae super universam terram; et stellae media die apparuerunt.

[1] Cod. « Euphoros ». — [2] I. e. « filius nautarum ». — [3] Κούρασος. In variis codicibus variae scriptiones: Cursus, Curcus, Cyriacus. — [4] Sic ms.

Et anno sequenti, Narses Edessam ingressus est et eam occupavit, et lapidavit in ea Severum episcopum.

Et anno 916°, Ḥesna, *in regione* Turabdinensi, expugnata est a Persis; et fuit bellum arduum inter hos et Arabes.

5 Et anno 926°, Mar Daniel ʻUzāyā, archimandrita Cartamin, factus est metropolita in quattuor loca Tellam, Mardam, Daram, et Turabdinensem *regionem*.

* Et anno 932°, regnare coepit Mohammed, rex primus Arabum; et primus fecit sacrificium, et comedendum imposuit 10 Arabibus, praeter eorum morem. Ex inde initium habet apud eos computus annorum. * p. 11.

Et anno 938°, direpta est Edessa; et Chosroes rex a Siroe, filio eius, occisus est.

Et anno 942°, mortuus est Athanasius patriarcha; et *etiam* 15 Mohammed rex Arabum, et post hunc regnavit Abū Bekr, tres annos et tres menses.

Et anno 945°, mortuus est Abū Bekr; et regnavit post eum ʻOmar filius Khaṭṭab, undecim annos.

Et eodem anno *mortuus est* Mar Daniel ʻUzaya; et factus est 20 post eum episcopus et archimandrita Cartaminensis Mar Gabriel Qosṭanaya, qui vivus mortuum ad vitam revocavit fecitque prodigia et miracula alia.

Et eodem anno Arabes Syriam ingressi sunt et Damascum expugnaverunt.

25 Et anno 947°, Romani et Arabes praelio contenderunt ad Hieromycen fluvium; et devicti sunt Romani clade completa; et subegit ʻOmar omnes civitates Mesopotamiae. Et dux ex illis primus qui Edessam et Ḥarran ingressus est *fuit* Abū Bader, et qui Daram, et Amidam, et Tellam, et Rhesainam fuit ʻIyadh.

30 Et anno 954°, expugnata est Caesarea Cappadociae; ʻet fuit ......[1]

Et anno 9[..][2] ......

Et anno sequenti, diebus Mar Gabrielis episcopi Darae et

[1] Hic duae voces quarum prior « annus », altera « castrum » significat; locus corruptus videtur. — [2] Lacuna parva; mirum est series annorum 954, 955 his notulis abruptam esse.

archimandritae Cartamin, evacuatum est sepulcrum huius monasterii, et inventae sunt calvariae ⌜octoginta[1] et duae.

* p. 12. * Et anno 955°, occisus est 'Omar rex a servo Indo viri Coraishitae, dum orat in masgida. Et regnavit post eum 'Othman, filius 'Affān, undecim annos cum dimidio. 5

Et anno 960°, mortuus est patriarcha Mar Iohannes, hymnologus[2]; et *etiam* Mar Simeon, episcopus Edessae.

Et anno 967°, occisus est 'Othman; et manserunt Arabes sine rege tres annos et octo menses. Erat autem dux Arabum in Occidente Mo'awya filius Abū Sofian, et dux eorum in Oriente 10 *erat* 'Alī filius ⌜Akkhaṭṭab[3].

Et anno 971°, occisus est 'Alī; et regnavit Mo'awya annos viginti. Hic composuit pacem cum Romanis. Et misit in dicionem Romanorum 'Abderraḥman ducem exercitus, qui fuit ibi per duos annos. 15

Et anno 976°, mortuus est Mar Theodorus, patriarcha Antiochiae.

Eodem anno fuit nix et glacies ingens; aruerunt olivae et pleraeque plantationes cuiusque generis.

Et anno 990°, fuit terrae motus vehemens, qui destruxit in 20 Syria loca plurima. Corruit etiam Baṭnan Sarugiensis, quae eversa et deleta est. Etiam *corruit* unum latus ecclesiae antiquae Edessae, die dominica Resurrectionis, hora tertia.

Et anno 991°, mortuus est Mo'awyae, et post eum regnavit Yezīd, filius eius, annos tres et menses quinque. 25

Et anno 994°, mortuus est Mar Severus bar Maška, patriarcha.

Et eodem anno mortuus est Yezīd filius Mo'awyae, et regnavit Marwan filius Ḥakam, annum unum cum dimidio.

* p. 13. * Et anno 996°, mortuus est Marwan; et regnavit 'Abd al- 30 Malik, filius eius, post eum, annos viginti et unum. Is composuit cum Romanis pacem trium annorum, eisque solvebat tributum in singulos dies mille denarios et equum arabicum.

Et anno 999°, factus est Mar Iulianus patriarcha, in monas-

[1] In marg.: « octingentae »; cf. p. 4, l. 1. — [2] Ad verbum « sedrarum », i. e. auctor hymnorum qui sedrae vocantur — [3] Sic ms., per lapsum pro « Abu Thaleb ».

terio Mar Iacobi, Cyrrhi, et Mar Georgius, episcopus Tribuum *factus est*

Et anno 1006°, exierunt exercitus Romanorum in [vallem] Antiochiae, et eis occurrit [Dīnar filius Dīnar] eosque destru-
5 xit; pauci [eorum effugerunt], et reversi sunt in dicionem Romanorum cum dedecora [fama].

Et eodem anno, rebellarunt Romani [in] Iustinianum eorum imperatorem, et [ei] nasum amputarunt, et eum eiecerunt; et e carcere eduxerunt Leontium [eum]que regnare fecerunt in se.

10 Et anno 1008°, cuderunt Arabes zūzē et denarios quibus non ⌜imagines[1] sed litterae impressae erant.

Et anno sequenti, fecit ʻAṭiya descriptionem peregrinorum. Et factus est Mar Georgius episcopus, e monasterio Mar Šīlae, in Sarug et regionem Ḥawara.

15 Et anno 1010°, mortuus est beatus Mar Thomas Tellae Mauzelat; cuius tempore aedificata est ecclesia catholica Iacobitarum in Ḥarran.

Et anno 1011°, mortuus est Mar Georgius, stylita, e Tarʻēl. Et fuit lues tumorum in universas regiones Syriae.

20 Et eodem anno, ordinatus est Mar Simeon e monasterio Cartaminensi, episcopus in Ḥarran.

Et anno 1015°, profectus est ʻAbdallah, filius *ʻAbd al-Malik, cum magno exercitu; secum duxit operarios et reaedificavit Mopsuestiam in regione Ciliciae. * p. 14.

25 Et eodem anno, exiit edictum et omnes porci necati sunt.

Et anno 101[6][2], mortuus est ʻAbd al-Malik, et regnavit Walīd, filius eius, post eum, annos novem; vir astutus qui multiplicavit exactiones et angustias plus quam omnes eius decessores. Penitus delevit cunctos praedones et latrones. Con-
30 didit urbem eamque vocavit ʻAīn Gērā.

Et eodem anno, mersus est in Euphrate Šabīb ḥarurita[3], eques famosus et heros strenuus.

Et anno 1018°, condidit et absolvit ecclesiam Orthodoxorum Nisibi Mar Simeon, episcopus Ḥarran; omnes sumptus et expen-

[1] Sic vertendum, *Chr. min.*, p. 176, l. 8 (non autem « cruces ». — [2] Codex, lapsu: 1019. — [3] Id est: addictus sectae religiosae Arabum Iraci حرورية dictae.

sas pro ea e monasterio Cartaminensi suppeditabat episcopus. Aedificavit eam tribus vicibus, nam dum die exstruebat de nocte Nestoriani et Iudaei evertebant, et vix absolvi potuit. Eam autem consecravit Mar Iulianus patriarcha, cum ipso Mar Simeone. 5

Et eo tempore, Mar Iacobus, interpres Librorum notus erat.

Et anno 1019°, mortuus est Mar Iulianus patriarcha, et *etiam* Mar Iacobus, interpres.

Et anno 1020°, factus est patriarcha Mar Elias, e monasterio Gubba Barraya. 10

Et anno 1021°, destitutus est Moḥammed filius Marwani, *praefectus* Mesopotamiae, et eius in locum venit Maslama, filius ʻAbd al-Malik; et congregatis copiis ingressus est in terram Romanorum. Obsedit castrum Tarandum, et Mysiam [1], et Mystiam civitates: eas vastaverunt et captivos abduxerunt 15 omnes in eis *inventos*.

* p. 15. * Et anno 1022°, misit Maslama amiras in universam Mesopotamiam: mensuraverunt agros et numeraverunt vineas et plantas, homines et iumenta, et suspenderunt numismata plumbea collo uniuscuiusque. 20

Et anno 1024°, mense šebaṭ, die vigesima octava, ad auroram feriae tertiae fuit terrae motus vehemens in universis locis Syriae; destruxit et obruit homines innumeros; et fuit etiam lues et locusta numerosa.

Et anno 1026°, mortuus est Walīd rex, et regnavit Soleiman 25 annos duos cum dimidio.

Et anno 1027°, congregavit Soleiman copias et operarios, et gressi sunt per mare, et castrametati sunt in Asia; et expugnaverunt civitates duas: Sardes et Pergamum, aliaque castra; multosque occiderunt et captivos abduxerunt; Syros etiam qui 30 ibidem erant deduxerunt et dimiserunt in pace.

Anno 1028°, collegit rursum Soleiman copias in prato Dabiq, et misit exercitum numerosum cum ʻObeida, duce exercitus, in dicionem Romanorum. Profecti sunt et castrametati sunt in Thracia regione; et ingressus est ʻObeida Bulgariam regionem, 35 et magna pars eius exercitus a Bulgaris destructa est; reliquos

[1] Lege « Amasiam ».

vero ita oppressit Leo, imperator astutus Romanorum, ut devorarent carnem et fimum iumentorum suorum.

Eodem anno, expugnatum est castrum Anṭigōn a Davide filio Soleimani. — Et mense ēlūl, mortuus est Soleiman in prato Dabiq; et post eum regnavit 'Omar, filius 'Abd al-'Azīz, [filii Marwani, annos 2 et menses 7, (vir bonus)[1] et rex misericors plusquam omnes reges] eius decessores.

* Et anno 1030°, factus est Mar Athanasius Nounabaya[2] archimandrita *monasterii* Cartamīn. Et anno vigesimo quinto sui principatus factus est episcopus in regionem Turabdinensem; et mortuus est anno 1058°. * p. 16.

Et anno 1031°, mortuus est 'Omar in regione Apamensium, in monasterio Ancironithae[3] (?), et regnavit post eum Yezīd filius 'Atka[4], filius 'Abd al-Malik, annos quattuor. Et iussit ut delerentur et lacerarentur omnes figurae in suo imperio, sive aeneae, sive ligneae, sive lapideae sive coloribus depictae.

Et anno 1033°, misit Dāḥāk, amira Mesopotamiae, descriptores in universam provinciam suam, qui descripserunt homines parvulos et seniores, eum etiam qui ipsa die natus erat, et mensuraverunt agros, et numeraverunt plantas, et censum fecerunt qualis *antea* non fuit; quem inveniebant fraudem commisisse, eum radebant: multos homines raserunt.

Et anno 1035°, mortuus est Mar Elias patriarcha, *mense* tešrīn priore, die tertia; et ei successit Mar Athanasius e monasterio Gubba Barraya.

Et eodem anno mortuus est Yezīd rex, et regnavit Hišam, filius 'Abd al-Malik, post eum, annos 19. Is plus quam reges sui praedecessores condidit in dicione sua domos, sata, officinas. Et eduxit ab Euphrate canalem ad irrigandum plantationes et sata quae ad eum *fluvium* instituerat.

Et anno 1036°, fuit lues magna boum et equorum, et omnium quadrupedum; et fuit pestis tumorum vehemens in omnibus Syriae regionibus, et vastavit pagos et domos multas.

[1] Desunt duae aut tres voces. — [2] I. e. e pago ܢܘܢܒ in regione Turabdinensi. Hinc corrige *Chron. min.*, p. 234 (versio p. 177). — [3] Dubiae vocales; arabici scriptores vocant illud « Simeonis monasterium ». — [4] Re quidem vera 'Atka uxor fuit 'Abd al-Malik, mater Yezid.

* p. 17. Et anno 1037°, ingressus est Maslama dicionem * Romanorum: cepit Neocaesaream Ponti, et eam vastavit, et *incolas* eduxit captivos in Syriam.

Et anno 1039° ingressus est fines Turcarum: occurrit ei exercitus numerosus, et clade *accepta* reversus est; iterum collegit operarios lapicidas, lignarios et ferreos fabros, et secunda vice ingressus est, pugnavit et vicit: et ibi condidit castra et urbes magnas.

Et anno 1045°, decessit ex hoc mundo Mar Simeon episcopus Ḥarran, e monasterio Cartamin, die tertia *mensis* ḥazīran, feria quinta; ei successit Mar Thomas eius discipulus, ex eodem monasterio Cartaminensi.

Et anno 1046°, defunctus est Mar Constantinus, metropolita Edessae, discipulus Mar Iacobi; ei sucessit Athanasius eius discipulus.

Et anno 1047°, congregata est synodus episcoporum in monasterio 'Arbīn, in Occidente, cum Mar Athanasio patriarcha, propter correctiones et canones ecclesiasticos. Erant autem in hac *synodo* e monasterio Cartaminensi, Mar Lazarus Turabdinensis, et Mar Thomas Ḥarranensis.

Et anno 1049°, defunctus est Mar Thomas *episcopus* Ḥarran, et Mar Theodorus Samosatae, et Mar Theodotus Germaniciae, et Mar Iohannes stylita Litarbae.

Et anno 1054°, congregata est synodus episcoporum in Occidente, cum Mar Iohanne patriarcha et Mar Athanasio Sandalaya, metropolita Mesopotamiae, ob perturbationem quae accidit in ecclesia et correctiones canonum.

* p. 18. Et eodem anno, mortuus est * Hišam, et regnavit post eum Walīd, annum cum dimidio, vir strenuus, iocorum, voluptatis, venationis, potationis amans.

Et anno 1056°, mortuus est Walīd, et regnavit post eum Marwan; vir durus et Arabibus tremendus; ex eis enim occidit et suspendit, in omnibus civitatibus Syriae. Vixit in imperio annos sex, et mortuus est. Regnavit post eum 'Abdallah filius Moḥammedi annos viginti tres cum dimidio. Eo iubente, eversi sunt muri civitatum Syriae.

Et anno 1065°, mortuus est 'Abdallah, et regnavit post eum 'Abdallah eius frater. Initio eius regni fuit bellum grave, et

ruina magna inter Arabes et Persas, et angustia et egestas, et rebellio in Syria. Manifestavit enim prodigiosa et acerba artificia quae superant quidquid invenerunt reges eius decessores, et tributa et exactiones usque dum evanuerit pecunia e tota
5 dicione eius. Et, se vivo, regnare fecit in Arabes filium suum Mahdī.

Et anno 1066°, mortuus est Mar Iohannes patriarcha; et convenerunt Rhesainam, secundum mandatum regis, et ordinaverunt sibi patriarcham Mar Isaacum, episcopum Ḥarran,
10 e monasterio Cartamin.

Et anno sequenti, mortuus est apud regem, 'Acūlae, et ei successit patriarcha Mar Athanasius Sandalaya, ex eodem monasterio Cartamin.

Et anno 1069°, ordinatus est Mar Dionysius episcopus in
15 *urbem* Ḥarran, ex eodem monasterio Cartamin.

Et eodem anno, mortuus est Mar Athanasius, in *urbe* Ḥarran, die undecima mensis tammūz, et adduxerunt eum deposueruntque in coenobio quod condiderat supra Tell-Bešmai.

* Et anno 1070°, fuit schisma et perturbatio in ecclesia: * p. 1ρ.
20 tunc congregati sunt episcopi Occidentales et creaverunt sibi patriarcham Georgium diaconum saecularem ex Ba'altan; episcopi autem Mesopotamiae sibi constituerunt Mar Iohannem, e monasterio Karkaphtae.

Et anno 1073°, mortuus est Mar Iohannes patriarcha; con-
25 gregavit autem rex 'Abdallah, Bagdadi, omnes episcopos, et Georgium patriarcham in carcerem detrusit decem annos, et eius loco patriarcham constituerunt, iussu regis, Davidem, episcopum Darae, e monasterio Cartamin. Ibi, Bagdadi *nempe*, mortuus est Mar Dionysius *episcopus* Ḥarran.

30 Et anno 1074°, venit Maruta, impostor, Mosule in loca Mesopotamiae; praedicabat autem suis diebus completum esse peccatum, et dicebat seipsum thaumaturgum esse; et idcirco convenerunt apud eum ex omnibus locis Mesopotamiae turbae magnae et numerosae. Praecipiebat autem eis ut exir[ent] in roga-
35 tiones; et conspergebat eos cinere; altaria autem, [s]acra *mysteria*, cruces, in suo nomine a se consecrari dicebat[; fe]ria quinta [m]ysteriorum agnum comedebat, Christi instar [n]empe, cum Christianis multis. Erat autem habitu monacho[r]um *vestitus*

et contemnebat monachos. Eo quod .... dispersi sunt[1].

Et anno 1080°, mortuus est David Darae *episcopus* qui factus est patriarcha cogente regia auctoritate; Georgius autem patriarcha mansit in carcere vinctus.

*p. 20. * Et eo anno factus est amira Mesopotamiae et Mosulis Musa filius Muṣ'ab, iudaeus, vir iniquus et sine misericordia, christianorum osor; excogitavit omne genus suppliciorum, quae non fuerant ab initio mundi; appendit numismata plumbea collo uniuscuiusque et inussit pollices manuum eorum; vectigal etiam pro parietibus, portis, et fenestris exegit; adeo ut homines sepulcra antiqua effoderent, et aurum argentumque *inde* eruerent, quo tributum persolverent. Fuit fames et lues eius diebus: et deficiebant homines sicut locustae et non erat qui sepeliret; et exierunt lupi rapaces qui devoraverunt multos homines, maxime in regione Turabdinensi. Auctoritate potitus est tres annos; postea destitutus est et in iudicium vocatus; et quidquid acquisiverat venum datum est; etiam eius mulieres venditione venditae sunt.

Et postquam regnavit 'Abdallah, filius Moḥammeṭi, annos viginti tres, mortuus est, et ei successit Mahdī eius filius, quem vivus regnare fecerat.

Is vero Georgium patriarcham e carcere dimisit. Et congregavit Georgius synodum episcoporum triginta sex in *urbe* Sarug, propter Iohannem metropolitam Tagriti, quem anathematizaverunt omnes et deposuerunt. Acceptus vero est in monasterio Mar Matthai: et creavit ex istis *monachis* sex episcopos.

Et eodem anno[2], mortuus est Mahdī; regnavit autem octo annos et novem menses. Et regnavit Musa, filius eius, post eum, annum unum. Regnavit autem post eum Harun, frater eius, annos XXIII. Et post hunc regnavit Moḥammed, eius filius, annos tres cum dimidio; et occidit eum 'Abdallah al-Māmun, frater eius, et mansit universa regio sine rege quindecim annos.

*p. 21. Et anno 1100°, regnare coepit 'Abdallah al-Māmun annos viginti et tres.

[1] Aliquot voces evanuerunt. — [2] Anno Graecorum 1096 (785).

Et anno 1101°, ordinatus est Mar Iosephus patriarcha, e monasterio Gubba Barraya; *sedit* annum unum, et mortuus est.

Et anno 1104°, ordinatus est Mar Cyriacus patriarcha, e monasterio Bizunae, die decima quinta *mensis* 'āb.

5 Et anno 1128°, die decima sexta mensis 'āb[1], die dominica sancta, hora sacrificii divini, is e mundo migravit in civitate Mosule; et deductus est ad civitatem suam Tagritum, unde erat, depositusque est in ecclesia magna castelli.

Et anno 1130°, ordinatus est Mar Dionysius patriarcha, e mo-10 nasterio Kennešrē, Callinici in civitate.

Omnes autem patriarchae a domino nostro Severo ad Mar Dionysium sunt viginti duo.

ABSOLUTAE SUNT NARRATIONES HISTORIAE MISCELLANEAE.

RURSUM, NARRATIO DE SINGULIS APOSTOLIS: EX MAR EPHREMO.

15 Primum, de apostolo Petro. — Simon Cephas, princeps apostolorum, *erat* e Bethsaïda, e tribu Nephthali. Et quidem fecit virtutes, signa et prodigia Hierosolymis; et erexit paralyticum et sanavit aegrotos; et in carcere inclusus est iussu Herodis Agrippae; et eum angelus de nocte liberavit; et exivit et cir-20 cuivit per loca mare circumiacentia; et suscitavit Thabitam et Cornelium cum universa eius domo baptizavit. Et ingressus est Antiochiam Syriae urbem; et in ea praedicavit evangelium; et multos in ea docuit et baptizavit. Et ipse condidit in ea ecclesiam primam, et sedit in thronum apostolicum, et ipse in 25 ea patriarcha primus fuit. Et praedicavit in ea per annum, eo anno quo regnavit Romae Claudius. * Et exivit Antiochia et docendo adscendit usque Romam; et in ea praedicavit evangelium viginti et septem annos, ab anno primo imperii Claudii ad annum decimum tertium Neronis. Et cum ibidem adscendis-30 set Paulus apostulus et coepisset praedicare, orta est seditio magna Romae, et perturbatus est universus Senatus et iussit...

* p. 22.

[*cetera desunt*]

Anno 1406° Graecorum, defecit pluvia a *mense* šebaṭ; et sterile fuit semen et defecerunt segetes, maxime in planitie[2]

[1] In chronico: « ḥazīran ». — [2] Vox curdica.

Nisibis. Et venit sultanus magnus Turcarum; et occupavit Nisibin et Mosulem tres menses; et quidquid e segetibus supererat comedit. Et captivi abducti sunt homines a Turcis aliis. Venum dabatur corus tritici octoginta denariis in castello Haitam. Multi fame perierunt hoc anno. 5

Et eodem *anno* fuit lues, et mortui sunt in regione Turabdinensi homines innumeri. Perierunt e [pago] [1] Beth Severina [2], centum et quadraginta animae tributo [adscriptae] [1].

[1] Lacunam unius vocis coniectura suppleo. — [2] Hodie « Basabrina ».

ANONYMI AUCTORIS
CHRONICON
AD ANNUM CHRISTI 1234 PERTINENS.

* PER DEUM dominum temporum incipimus scribere chronographiam, et successionem patriarcharum, regumque famosorum, gubernatorum et iudicum qui fuerunt Iudaeis; — et etiam tempora prophetarum sanctorum; et, post eos, apostolorum divinorum, et archiepiscoporum episcoporumque notorum qui sanctis ecclesiis praefuerunt; — et etiam tempora doctorum orthodoxorum, et de synodis quae fuerunt propter negotium fidei; — et etiam tempora virorum illustrium et philosophorum qui interdum floruerunt, et de singulis eventibus famosis qui in mundo acciderunt. * p. 26.

Quia promisimus consignare annos huius mundi, notare debemus plures esse qui expleverunt et fecerunt chronica, et memoriam rerum gestarum in mundo consignarunt; sed non uno consensu disposuerunt et scripserunt quidquid fecerunt: sed aliter atque aliter scripserunt; nam alii annos addunt et alii minuunt, alii eventus anticipant et alii retardant, ita ut ne unus quidem inveniatur cuius supputatio et dispositio cum socii *supputatione et dispositione* congruat. Aliter descriptus est numerus annorum mundi in libro Creationis qui apud nos Syros et apud Hebraeos *in usu est*, et aliter in versione Septuaginta *virorum*, et aliter in illa apud Samaritanos *recepta*. Aliter disposuit hos *annos* Eusebius caesariensis in Chronico quod fecit, et aliter descripserunt Andronicus, et etiam venerabilis Iacobus, episcopus Edessae, et venerabilis Georgius, episcopus Tribuum Arabum. Et isti philosophi sapientes, cum ceteris multis temporum descriptoribus, aliter et diverso modo scripserunt * et nobis tradiderunt annos mundi. Quid igitur faciendum est ei qui vult veritatem invenire cum videat has diversitates consignatas in libris sacris et in operibus virorum illustrium, sapientium et philosophorum, * p. 27.

nisi ut ambulet in via trita et in vestigiis libri sacri Creationis, et scribat quemadmodum scripserunt et disposuerunt sapientes chronographi, Eusebius caesariensis, Andronicus et Annianus monachus alexandrinus, quibus adhaeserunt etiam multi e patribus nostris. Nihil quidem e nostro additturi sumus, sed 5 iuxta eorum descriptionem opus eorum describemus initium facientes, roborante Domino, a diebus novae creationis et innovatione caelorum, terrae omniumque creaturarum.

Initio, die prima, quae est dominica, creavit Deus caelum, et terram, et aquas, et lucem diffusam, et omnes ordines ange- 10 lorum qui ministrant ante Deum, et omnes angelos faciei eius, et angelos sanctitatis, et flatus ventorum, et abyssum et tenebras, et angelos ventorum flantium. Septem opera magna fecit prima die.

Die secunda, creavit caelum inferius et illud vocavit firma- 15 mentum. Caelum superius est *caelum* lucis, et istud, iuxta mentem ecclesiae, est paradisus spiritalis, id est Ierusalem caelestis. Hac die, divisae sunt aquae: pars earum adscendit sursum, et pars earum erat super faciem totius terrae. Id tantum fecit Deus die secunda. 20

Die tertia, dixit aquis ut transeant a facie terrae in unum locum, intra illud firmamentum; et apparuit arida; et in * p. 28. hac die * creavit omnes lacus et eorum ambitus, et flumina et fontes aquarum in montibus et vallibus; et fecit Deus sub terram cuniculos et meatus ad transitum aquarum et venti, qui- 25 bus adscendant calor et frigus in ministerium habitantium terrae. Et fuit terra quasi spongia. Et iubente Deo, terra concepit et produxit herbam et arbores, semina et radices. Quattuor opera magna fecit die tertia.

Die quarta, fecit Deus solem, et lunam, et stellas; et expansus 30 est calor solis super faciem aquarum in curationem et auctionem omnium quae [nascuntur] et crescunt super terram. Et dedit soli dividere inter lucem et tenebras. Tria opera fecit die quarta.

Die quinta, iubente Deo, produxerunt aquae diversa genera 35 *animalium:* draconem, Leviathan, Behemoth [visu][1] terribilem,

[1] Lacuna unius vocis.

id est locustam, et volucres et pisces. Et ortus est super eos sol in incrementum. Tria opera fecit die quinta.

Die sexta, fecit omnia animalia terrae, et bestias, et quidquid reptat super terram; et post omnia creavit hominem: masculum et feminam fecit eos, et eos dominari fecit in omnia quae sunt super terram et in aquis, et in volucres bestiasque, et in omne quod reptat super terram. Et hac die parasceve, hora prima, dixit Deus Filio et Spiritui sancto, iuxta mentem Ecclesiae: « Faciamus hominem ad imaginem nostram et similitudinem nostram. » Et cum *id* audirent angeli, timore perculsi sunt. Et viderunt manum Dei, cuius sub palma continentur omnia creata, et viderunt eum sumere granum e pulvere et guttam ex aquis, et ex aere flatum et ex igne * calorem; et e seipso vitam posuit, id est animam rationalem. Et viderunt haec quattuor elementa posita in palma dexterae Dei, e quibus fecit hominem cui submitterentur omnia; et eum plasmavit manibus suis sanctis, et dein induit eum vestimentis regiis. Et cum viderent angeli eius adspectum gloriosum, timuerunt. Et factus est rex, sacerdos, et propheta. Et convenerunt ad Adamum animalia et bestiae et volucres; et transierunt ante eum: et imposuit eis nomina, et adoraverunt eum. Et audierunt angeli vocem Dei Adamo dicentis: Ecce te feci regem, sacerdotem, dominum, principem, et iudicem, ut omnia tibi subiciantur et tua sint. Et his auditis angeli benedixerunt et adoraverunt eum.

* p. 29.

Et cum videret princeps ordinis infimi magnitudinem Adami, eum aemulatus est et noluit adorare eum. Et locutus est exercitibus suis ne adorarent eum et ne glorificarent eum cum angelis. Ille debet me adorare qui sum ignis et spiritus, non autem ego pulverem, et reliqua. Cum autem haec cogitaverit is rebellis, seipsum a Deo separavit, et detrusus est et cecidit cum sui ordinis sociis, die sexta. Et spoliatus est gloria sua, et vocatus est Satanas quia declinavit, et diabolus quia eiectus est, et daemon propter miseriam eius qui amisit gloriam suam [1]. Et cum cecideret Satanas e caelo, elevatus est Adamus in para-

[1] Est hic lusus in verbis syriacis: *Satana* quia *sta; šîda* quia *eštdî; daiva* propter *daviuta.*

disum curru igneo, angelis ante eum glorificantibus, et introducentibus eum cum laetitia in paradisum. Et immisit in eum Deus somnum: et dormivit; et sumpsit *Deus* ab eo articulum digiti auricularis manus eius dexterae, et ex eo formavit Hevam. Et cum expergefactus hanc videret, de ea gavisus est. Et fuerunt Adamus et Heva in paradiso sex horas, iuxta opinionem nostram, gloria induti et glorificationem canentes, loco ordinis daemonum qui ceciderunt.

Et fuerunt omnia opera viginti duo. Et absolvit Deus omnia opera sua, in caelo et in terra, et in maribus, et in abyssis, et in luce * et in tenebris, et in cunctis rebus.

* p. 30.

Die septima requievit virtus infatigabilis ab omnibus operibus quae fecit. Et idcirco benedixit diei sabbato, et benedictum est in die septima quidquid creatum est sex diebus. Et propter ea de eo mandatum dedit Hebraeis ut qui fecerit in eo opus moreretur et qui violarit illud certo moreretur. Satanas autem, cum eiectus esset e gloria sua, habitavit in serpente. Et observavit tempora, et videns Hevam solam, cum ea locutus est eamque decepit; nam natura eius debilis est et omni sermoni fidem praebet. Et decerpsit fructum ex arbore et comedit. Comedit etiam Adamus fructum letale, et gloria sua spoliatus est. Et fecerunt sibi perizomata foliis ficus. Et audierunt vocem Domini Dei, in paradiso deambulantis ad occasum diei, et se absconderunt. Et dixit Deus Adamo: Ubi es tu? Et dixit ei: Vocem tuam audivi, et timui. Et dixit ei: Quis te docuit te esse nudum, nisi manducaveris fructum? Et dixit Adamus: Mulier quam dedisti mihi me decepit. Et dixit Deus mulieri: Quare id fecisti? Quae dixit: Serpens me decepit. Et maledixit Deus serpenti; et ei iratus est Deus, et eius pedes in ventre eius contraxit, et Hevae dixit: Multiplicabo aerumnas tuas, et reliqua. Adamo autem ait: Maledicta terra propter te, et reliqua. Et vidit Deus eos stare pudore suffusos et nudos, quia exsiccata sunt perizomata foliorum tenerorum; et stabant in summa ignominia. Et tunc contristatus propter illos, fecit eis tunicas huius pellis debilis quae extensa est super corpus hoc dolorum. Et exierunt hora nona, in magno dolore, e paradiso. Et dein confortavit eum Deus: Ne doleas, Adame,

quia te reducam in hereditatem tuam, et reducam * te ab exilio. Manda filiis tuis ut te condiant post mortem tuam in myrrha, cassia et stacte, et te deponant in spelunca usque ad tempus quo discedant et viciniis paradisi; et qui supererit sumet secum corpus tuum et ponet illud in centro terrae; quia ibi procurabitur salus tibi et posteris tuis per Filium meum; secundum mentem Ecclesiae. Et postquam exierunt Adamus et Heva e paradiso, clausa est porta paradisi. Et ad eam stat cherub, gladium ferens acutum ut eam custodiret. Et hac die, clausa sunt ora animalium et omnium reptantium super terram, ne loquerentur animalia. Adamus autem et Heva descenderunt ⌜incitato cursu[1] spiritus super montes paradisi. Et invenerunt speluncam in vertice montis, et in ea se receperunt. Ambo autem erant virgines. Et cum vellet Adam cognoscere Hevam, sumpsit ex oris paradisi aurum, myrrham et tus, et ea posuit in spelunca, cui benedixit eamque sanctificavit, et eam vocavit speluncam thesaurorum; et facta est oratorium ipsi eiusque filiis. Et descenderunt Adamus et Heva e monte illo sancto inferius; et cognovit Hevam uxorem suam, quae concepit et peperit Cainum et Lebodam, sororem huius cum eo. Et rursum concepit et peperit Habelem et Climam sororem eius. Et cum crevissent pueri, dixit Adamus Hevae ut acciperet Cainus Climam quae nata est cum Habele et Habel sumeret Lebodam quae nata est cum Caino. Et dixit Cainus Hevae matri suae: Ego sumam sororem meam, et Habel sumet sororem suam. Quia Leboda pulcra erat. Scientia divina providerat ut sumat quisque sororem fratris sui, quia nondum erant mulieres in terra. Cainus autem maledictus ausus est sororem suam sumere et insurrexit contra voluntatem Dei. Et cum id audivisset Adamus aegre tulit et dixit eis: Sumite de fructibus terrae et de gregibus, et adscendite in verticem montis huius in quo est spelunca thesaurorum, offerte oblationes et * orate coram Deo, et postea copulamini uxoribus vestris. Et cum adscendissent Cainus et Habel, invasit Satanas Cainum, ut occideret Habelem propter Lebodam. Et ideo reprobata est eius oblatio; Habelis autem *oblationem* accepit Deus. Rursum,

* p. 31. — * p. 32.

[1] καταδρόμος.

auxit Cainus aemulationem suam, et cum descendissent in planitiem, eum ictu lapidis occidit. Et maledixit Deus Caino, et misit eum in exsilium in silvam Nūd. Et luxerunt Adamus et Heva Habelem centum annos; dein cognovit Adamus Hevam quae peperit Sethum pulcrum et potentem, in similitudinem Adami; et fuit pater gigantium. 5

Successio generationum[1], et tempora patriarcharum, et anni regum variorum qui fuerunt in gentibus, prout supra promisimus, secundum expositionem libri sacerdotalis Creationis, qui scriptus est ab angelo faciei ex sententia Domini 10 per Moysen prophetam, et secundum expositionem Andronici ceterorumque chronographorum. — Primum, Adamus natus annos CCXXX genuit Sethum secundum assertionem chronographorum; secundum Hebraeos vero natus annos CXXX. Chronographi adducunt testimonia e libro Henochi: Adam post sep- 15 tuaginta annos ab eiectione sua e paradiso, cognovit Hevam uxorem suam, quae peperit Cainum; et post septem annos peperit Habelem; et post annos LIII, occidit Cainus Habelem fratrem suum; et postquam centum annos luxerunt eum Adamus et Heva, tum cognovit Adamus Hevam uxorem suam et peperit 20 Seth. Et in iubilaeo XIX, hebdomada septima[2], cum vixisset Adamus DCCCCXXX annos, tempore mortis eius convenerunt ad ad eum patriarchae qui nati sunt vivente Adamo: Sethus, filius eius, et Enosus et Cainanus et Mahlalael. Ab eo benedictionem acceperunt; et oravit pro eis, et mandata dedit Setho filio suo 25 eique dixit: Attende, fili mi, quid praecipiam tibi hodie; et tu, *p. 33. die * mortis tuae, praecipias Enoso filio tuo, et Enosus Cainano filio eius, et Cainanus Mahlalaeli filio eius, et sermo iste in omnibus generationibus vestris transmittatur. Cum mortuus fuero, condite corpus meum myrrha, cassia et stacte, et depo- 30 nite *illud* in spelunca thesaurorum; et qui ex vobis ultimus superierit, quando exibitis ex hac regione paradiso vicina, sumat

[1] Huius capituli pars maxima desumpta est, saepe ad verbum, e libro *Spelunca Thesaurorum* inscripto, ut versionem germanicam Caroli Bezold conferenti apparebit. Annos patriarcharum prout traduntur in codice recitamus: lapsus et varietates notare supervacaneum visum est. — [2] I. e. ultima hebdomada annorum, penultimo anno huius hebdomadae.

secum corpus meum et illud in centro terrae deponat: quia ibi salus mihi et posteris meis procurabitur. Et esto dux populo tuo, in omni timore Dei. Separate vos a generationibus Caini occisoris. — Et mortuus est Adamus anno 135° Mahlalaelis,
5 die XIV mensis nīsān, hora sexta, demptis e mille annis, annis septuaginta, quia mille anni unus sunt dies in testimonio Domini, nam scriptum est de arbore scientiae[1]: Die quo comedes ex ea certe morieris. Idcirco non explevit annos huius diei, sed in eo mortuus est.

10 Sethus natus annos CCV genuit Enosum, iuxta tres chronographos; iuxta autem Hebraeos, natus annos CV. Et post mortem Adami luxerunt eum luctu ingenti, ut decet patrem omnium, CXXXX dies. Et detulerunt eum in verticem montis, et eum in spelunca thesaurorum deposuerunt. Tunc discesse-
15 runt familiae et generationes Sethi ab illis Caini occisoris. Et sumpsit Sethus Enosum primogenitum suum, et Cainanum, et Mahlalaelem, et uxores eorum liberosque eorum, et adscenderunt in montem laudum, ubi Adamus sepultus fuit. Et Cainus omnesque eius generationes manserunt infra, in pla-
20 nitie ubi Habel occisus est. Et Sethus direxit populum suum in puritate et sanctitate: et ideo filii Dei vocati sunt; et loco ordinis daemonum qui ceciderunt, isti laudabant, ad radices montis Paradisi, cum * angelis: nec habebant curam aliam, et con- * p. 34.
tinuo vocem audiebant angelorum qui laudabant in Paradiso,
25 quia non multum ab eo remoti erant, sed tantum circiter triginta spithamas in mensura spiritali, propter desiderium Paradisi, nec incumbebant labori, neque sementi aut messi, sed fructibus delectabilibus vescebantur, et aura suavi, quae exiebat e Paradiso recreabantur; et ipsi sancti erant; et
30 uxores eorum filiique eorum puri erant, neque erat inter eos aemulatio vel perturbatio, nec desiderium impurum aut collocutio lasciva, nec maledictiones aut mendacia, et iurabant per sanguinem Habelis; et mane surgebant omnes et adorabant in vertice montis coram Deo; et benedictionem accipiebant
35 e corpore Adami, et oculos suos in Paradisum levabant.

[1] *Gen.*, II, 17.

Tempore itaque Sethi, quidam e filiis et posteris eius, cum recordarentur vitae beatae Paradisi e quo exciderant maiores eorum et cum concupiscerent illuc denuo reverti, statuerunt in corde suo operibus mundis et sanctis Deo placere. Et idcirco, separaverunt se a suis fratribus, et adscenderunt in montem 5 Hermon, id est collem Dei; et sibi in eo habitaculum fecerunt et ibi vivevant monastice; remoti enim erant a coniugio et ab omni voluptatum fruitione. Et ideo vocabantur Vigilantes et Benē Elōhīm, id est filii Dei, quasi per laudem. Scriptores autem antiqui erraverunt, et e genere angelorum fuisse hos Vi- 10 gilantes Benē Elōhīm putaverunt. Idcirco erraverunt et scripserunt descendisse vigilantes et matrimonium inivisse cum filiabus hominum; nam e nepotibus Sethi erant isti, et non vigilantes ex natura angelica erant.

Et postquam vixit Sethus annos DCCCCXII, aegrotavit ad 15 mortem. Et convenerunt ad eum Enosus * filius eius, et Cai- [* p. 35.] nanus, et Mahlalael, et Iaredus, et Henochus, et eorum familiae. Et ab eo benedictionem acceperunt; et oravit pro eis, et iurare eos fecit per sanguinem Habelis: quod non descendent ab isto monte sancto ad filios Caini occisoris. Et mandatum 20 dedit Enoso filio suo, circa corpus Adami, et eum instituit gubernatorem populi sui, ut eos regeret in puritate et sanctitate, et cunctis diebus vitae suae coram corpore Adami ministraret. Et mortuus est Sethus pulcher, anno 20° vitae Henochi; et condivit corpus eius Enosus filius eius, eumque sepelivit 25 in spelunca thesaurorum. Et fecerunt super eum luctum quadraginta diebus. Et surrexit *Enosus* ad ministrandum coram Deo in spelunca thesaurorum.

Enosus natus annos CLXXXX genuit Cainanum, secundum chronographos, secundum vero Hebraeos, natus LXXXX annos. 30 Enosus invocavit nomen Domini melius quam omnes eius coaevi. Et ipse maxime ad vitam sanctam illos Benē Elōhīm, qui in montem Hermon adscenderant hortabatur. — Et anno 820° Enosi, occidit Lamechus caecus Cainum occisorem in silva Nūd, hoc modo: Cum caecus inniteretur filio suo iuveni, audivit 35 vocem Caini in silva; et proiecit Lamechus lapidem et eum percussit in fronte, qui cecidit et mortuus est. Et dixit ei puer

filius eius: Heu! domine, occidisti Cainum. Et plausit Lamechus, manibus suis, et compressit caput filii sui inter manus suas, et mortuus est *puer*. — Et postquam vixit Enosus annos DCCCCV, aegrotavit ad mortem. Et convenerunt ad eum patriar-
5 chae, Cainanus, eius primogenitus, et Mahlalael, et Iaredus et Henochus et Mathusala et Lamechus cum familiis suis. Et benedixit eis, et oravit pro eis, et eos iurare fecit per sanguinem Habelis, quod nemo eorum e monte illo sancto ad filios Caini occisoris descendet. Et benedixit Cainano, filio suo eique man-
10 datum dedit de corpore Adami, sicut ipse a suo patre iussus fuerat. Et mortuus est Enosus anno 53° vitae Mathusala. Et sepelivit eum *Cainanus* in spelunca thesaurorum.

* Cainanus natus annos CLXX genuit Mahlalaelem, secundum chronographos, secundum autem Hebraeos natus LXX annos. * p. 36.
15 Et postquam vixit Cainanus annos DCCCCX, aegrotavit ad mortem. Et venerunt ad ipsum Mahlalael, et Iaredus, et Enochus et Mathusala, et Lamechus cum familiis suis. Et benedixit eis, et eos iurare fecit quod non in castra iniquorum filiorum Caini occisoris decendent. Et benedixit Mahlalaeli filio suo eumque
20 admonuit et mandatum dedit de corpore Adami. Et mortuus est Cainanus natus annos DCCCCX, anno 65° vitae Lamechi patris Noachi. Et eum condivit *filius eius* sepelivitque in spelunca thesaurorum.

Mahlalael natus annos CLXV genuit Iaredum, secundum chro-
25 nographos; secundum autem Hebraeos natus LXV annos. — Et anno 40° Iaredi absolutum est millenarium primum, secundum chronographos. — Et coepit ministare Mahlalael, pro Cainano patre suo. Et die mortis eius ad eum convenerunt patriarchae: Iaredus primogenitus eius, et Henochus, et Mathusala, et
30 Lamechus et Noachus. Et benedixit eis, et praeceptum eis dedit de corpore Adamo, sicut supra scriptum est.

Hoc tempore descenderunt e monte Hermon in planitiem isti vigilantes Benē Elohīm, qui erant numero ducenti, quia taeduit eos, et ab illa conversatione sancta defecerunt, cum vi-
35 derent se non revertere in paradisum et desiderio mulierum vorarentur. Et aliquem ex ipsis sibi regem constituerunt, virum nomine Semazos; et fecerunt cum eo pactum et ei promi-

serunt se descensuros e monte in quo habitabant et sibi mulieres sumpturos. Et quidem descenderunt e monte Hermon ad fratres suos, filios Sethi et Enosi, et petierunt sibi ab eis uxores. Et noluerunt dare eis uxores, quia promissum suum transgressi erant. Et descenderunt ad filios Caini, et acceperunt sibi uxo- 5
* p. 37. res quas ex omnibus elegerunt, et nati sunt * ex ipsis filii gigantes sicut turres. Et ideo opinati sunt scriptores antiqui, e genere angelorum fuisse qui descenderunt et se commiscuerunt cum filiabus hominum, dum *revera* erant e nepotibus Sethi, et non e natura angelorum vigilantium. Et si hoc acci- 10 disset in natura daemonum, nunquam virgo ab eis evasisset sed eam oppressissent. Et hoc evidens est, nam ex quo creati sunt angeli, nullum augmentum fuit sive in angelis sive in daemonibus quia natura eorum quid singulare est, ut scriptum est. Et geniti sunt ab eis Iubal et Tubalcainus, cum pluribus aliis 15 ad malefaciendum *assuetis*, e filiabus Caini, inferius, in planitie, in castris iniquorum filiorum Caini. Et ingressus est Satanas in Iubalem et Tubalcainum, filios Lamechi caeci; et fabricavit Iubal tympana et citharas [1]; et Tubalcainus cymbala et sistra fecit et omne genus instrumentorum musicae. Et in- 20 grediebantur daemones in fistulis eorum, et ab intus canebant et sic regnavit lascivia in progeniem Caini, ut sine pudore currerent mulieres post viros, iumentorum silvestrium instar, et simul moecharentur; et sine pudore hinniebant viri post feminas et feminae post viros; magis quam meretrices furibant 25 turmae eorum in sonitu tibiarum et cithararum quas agebant virtute daemoniorum; patres et filii polluebantur cum matribus et sororibus, et non cognoscebant filii patres suos, neque patres filios suos; quia Satanas factus est dux castrorum eorum. Et postquam audiverunt sonum cantus et lusus eorum, 30 congregati sunt centum viri alii et consilium coeperunt descendendi in castra, ut fragosum strepitum filiorum Caini viderent.
* p. 38. Et fuit Iaredus in magno angore, * et adjuravit eos per sanginem Habelis ne descenderent; et dixit eis: Audite, filii Sethi! Quicumque hodie, transgressus iuramenta et praescripta 35

[1] In textu, scl. graeco et semitico, duplici vocabulo k i ṭ a r a et k e n a r a instrumenta notantur.

patrum nostrorum, descendet ex hoc monte nunquam rursus huc adscendet; sed noluerunt ei obedire et descenderunt. Et cum descendissent ferbuerunt desiderio filiarum Caini. Et cum viderent filiae Caini pulchritudinem filiorum Sethi irruerunt 5 in eos quasi bestiae feraces; et polluerunt corpora eorum, et animas eorum perdiderunt. Et quando voluerunt adscendere, lapides huius montis sancti facti sunt ignis; et eos adscendere Deus non sivit. Descenderunt etiam post eos alii multi; qui et ipsi lapsi sunt. — Et mortuus est Mahlalael natus annos 10 DCCCXCV, anno 34° vitae Noachi, et condiverunt eum, et cetera, ut supra scriptum est.

Iaredus genuit Henochum natus annos CLXII; et pariter secundum Hebraeos. Et coepit Iaredus ministrare, in sua integritate et puritate, in omni timore Dei. Et postquam vixit 15 Iaredus DCCCCLX annos, ad eum convenerunt patriarchae, Henochus, primogenitus eius, et Mathusala, et Lamechus et Noachus; et benedixit eis, et mandatum dedit eis de corpore Adami, sicut supra notatum est. Et mortuus est Iaredus anno 360° vitae Noachi. Et eis dixit, tempore mortis suae, oculis eius 20 lacrimarum plenis: Non relinquet vos Deus in hoc loco. — Et in summa tristitia mortuus est. Et condiverunt eum, et cetera.

Henochus natus annos CLXV genuit Mathusalam; secundum autem Hebraeos natus annos LXV. Et coepit Henochus ministrare coram Deo in spelunca thesaurorum. Et ipse primus ob-25 tulit oblationem aromatum in vesperis, in odorem suavitatis, coram Domino, in monte Australi. Nam quattuor sunt loca Domino *sacrata:* mons Paradisi, mons Australis[1] * mons Sinai * p. 39. et mons Sion. Is Henochus primus docuit scripturam, disciplinam et sapientiam. Et libro descripsit signa caeli ad edo-30 cendum homines discrimina temporum et annorum, secundum eorum cursum et vicissitudines docuit dies anni et numerum mensium posuit; et quidquid fuit vel exstat, vidit visione in somno suo; etiam quidquid futurum est hominibus in generationibus eorum usque ad diem iudicii. Et erat cum angelis Dei. 35 Et postquam placuit Henochus Deo annos CCC, cum sciret quod

[1] Theman, i. e. Arabia Felix.

Deus eum translaturus erat vocavit Mathusalam et Lamechum et Noachum eisque dixit: Decreturus est Deus in hanc generationem decretum sine misericordia. Relliquiae huius generationis vos estis. Ullus alius gignetur in hoc monte sancto, qui sit princeps filiorum populi eius. Sed videte quomodo ministrabitis coram Deo. Et postquam mandata dedit eis, eum transtulit Dominus in hanc terram viventium quae circumdat Paradisum. Et non remanserunt e filiis Sethi, nisi Enosus et Cainanus, et Mahlalael, et Iaredus et Henochus qui servarunt rectitudinem et non se demiserunt infra apud filios Caini.

Mathusala natus annos CLXVII genuit Lamechum; et similiter secundum Hebraeos. Et cum vixisset Mathusala annos DCCCCLXIX, advenit dies mortis eius. Et venerunt ad eum Lamechus et Noachus, et Semus, Chamus et Iaphethus hi et uxores eorum, quia non nati sunt filii ante diluvium filiis Noachi. Et benedixit eis, et osculatus est eos in dolore cordis sui et lacrimis oculorum suorum. Et oravit pro eis et mandatum dedit Noacho de corpore Adami: Ponatur in medio arcae et oblata super illud; tu filiique tui *sitis* in parte orientali arcae, uxor tua et uxores filiorum tuorum in parte occidentali; et corpus Adami et oblata: aurum, myrrha, tus, sint in medio arcae, ut sint quasi solium vobis et mulieribus vestris; * et ne transeant ad vos mulieres neque rem habeatis cum eis donec ex arca exieritis. Et ministrate coram corpore Adami, sicut ministrarunt patres nostri coram Deo. Et manda Semo filio tuo, ut post mortem tuam, sumat corpus Adami et illud deducat deponatque in centro terrae, et ibi habitare faciat virum e progenie tua, qui ibi ministret omnibus diebus vitae suae, naziraeus autem sit, nec sumat uxorem, nec offerat sacrificium animalium aut avium, sed panem et vinum offerat, quia ibi procurabitur salus Adamo et filiis eius. Et angelus Dei ostendet vobis centrum terrae. Et postquam praecepit Mathusala haec Noacho, flens et dolens, requievit anno 79° vitae Semi. Et condiverunt eum, et egerunt super eum luctum quadraginta diebus.

Lamechus natus annos CLXXXVIII genuit Noachum secundum chronographos, et similiter secundum Hebraeos. Et cum vixisset Lamechus DCCLXXVII annos mortuus est, vivente Mathusala

* p. 40.

patre suo, quattuor annis ante diluvium, anno 68° vitae Semi. Et condivit eum Noachus filius eius, et cetera.

Hoc tempore, cum multiplicati essent homines, et corrupisset omnis caro viam suam, dimisit eos Deus ut pugna irruerent unus in alterum: donec occiderentur gladio, alter ab altero, milia et myriades hominum: ita ut sanguine eorum putresceret regio in qua pugnaverant; et congregata eorum ossa facta sunt colles magni ob eorum multitudinem.

Noachus natus annos CCCC genuit Semum, secundum chronographos, secundum autem Hebraeos natus annos D. Et cum videret Noachus peccatum multiplicari in generatione sua, custodivit seipsum in virginitate annos D, quia mundus erat corde, et custodivit quidquid praecepit ei Dominus; et fuit alter Adamus, donec locutus est cum eo Deus qui ei dixit * ut sumat sibi uxorem Haichalem, filiam Namusi fratris Mathusalae. Et revelavit ei de diluvio, et dixit ei: Post annos centum et viginti faciam diluvium; sed fac tibi arcam in salvationem familiae tuae; et fac eam infra, in castris filiorum Caini; et fac in ea horreum pro aquis et cibo; et ceteris; et percute pulsans in eam ter in die: mane ut conveniant artifices ad opus arcae; in meridie ut cibum sumant, vespere ut requiescant. Et cum tibi percutienti dicent: Quid est hoc? dic eis: Diluvium aquarum facturus est Deus. Et fecit Noachus sicut iussit eum Deus. Et nati sunt ei tres filii spatio centum annorum: Semus, Chamus et Iaphethus. Et duxerunt uxores e filiabus Mathusalae; sed non nati sunt eis filii ante diluvium.Et postea ingressus est Noachus in speluncam thesaurorum, et detulit corpus patris nostri Adami; et Semus detulit aurum, et Chamus myrrham, et Iaphethus tus. Et exierunt e spelunca cum magna tristitia, quia inde recessuri erant, et levarunt oculos suos ad Paradisum, et orarunt dixeruntque: Mane in pace, Paradise sancte; mane in pace spelunca thesaurorum, manete in pace patres nostri; orate pro nobis, pro progenie e vobis superstite! Et cum descenderent de monte illo sancto, osculabantur lapides et arbores eius; et descenderunt cum tristitia in planitiem, flentes. Et posuerunt corpus Adami in medio arcae et oblata supra illud, die decima quarta mensis Īyār.

* p. 41.

Et die xvii mensis īyār, feria sexta, mane ingressa sunt animalia et bestiae; et media die ingressa sunt volucres et reptilia, et ad occasum solis ingressi sunt Noachus et filii eius; et steterunt in parte orientali arcae, uxores autem eorum in parte occidentali. Erat autem Noachus natus annos DC quando 5 ingressus est arcam. Et clausum est ostium arcae. Et apertae sunt cataractae * caeli, et exundavit oceanus, mare illud quod

* p. 42. circumdat universam terram. Et statim cucurrerunt filii Sethi ad arcam, et supplicabant Noacho ut aperiret eis, erantque in summa angustia. Adscendere autem in montes Paradisi non po- 10 tuerunt; et arca sigillata et consignata erat, et angelus supra eam quasi gubernator. Dum suffocantur in gurgitibus et abyssis, arca elevata est e terra vi aquarum abundantium. Et suffocati sunt homines et quidquid reptat super terram. Et adscenderunt aquae ad quindecim cubitos, mensura spiritus, 15 supra montes. Et vecta est arca ab oriente ad occidentem et a meridie ad aquilonem delineavitque crucem super aquas. Et fuit arca super aquas CL dies; et requievit mensis septimi die decima septima supra montes Cardu. Et imperavit Deus aquis: et quae descenderant conscenderunt sursum in locum suum, et 20 quae ab infra adscenderant descenderunt in abyssos, et *aquae* oceani reversae sunt in locum suum. Et aquae quae manserunt super terram paulatim decreverunt, usque ad mensem decimum qui est šebāṭ; et hoc mense apparuerunt vertices montium; et post dies quadraginta, decima mensis ādār aperuit 25 Noachus fenestram orientalem arcae et emisit corvum; et cetera.

Prima *die* mensis tertii exierunt ex arca. Et erexit Noachus altare Domino in monte Cardu; et sumpsit hoedum et capram, et vitulum, et arietem, et ovem, et salem, et turtures, et co- 30 lumbas: *haec* sacrificium imposuit altari, et posuit super haec oblationem oleo subactam, et libavit vinum, et proiecit super haec omnia tus. Et adscendit odor suavitatis coram Domino. Et iuraverunt Noachus et filii eius, se nunquam comesturos carnem in sanguine et in anima eius, prout iussit eos Dominus, 35 quia anima omnis carnis in sanguine est.

* p. 43. * Et non observarunt nepotes Noachi praeceptum Dei, maxime Chanaanus filius Chami. Et pervertit omnis caro viam

suam, usque ad Abrahamum. Et post annos peccavit Chanaanus et ei maledixit Noachus, quia ipse induxit telum irae filiorum Caini. Et ingressus est in eum Satanas, et factus est magister peccati; et fabricavit citharas tibiasque, et daemones 5 ingressi sunt et habitaverunt in eis; quod cum audiret Noachus valde afflictus est, et propterea Chanaano maledixit.

Noachus, postquam exivit ex arca, plantavit vineam, et bibit vinum eius et inebriatus est. Et cum dormiret revelata sunt pudenda eius; Chamus autem videns pudenda patris sui, 10 eum derisit ludibrioque habuit. Cum *id* audivissent Semus et Iaphethus afflicti sunt valde et, sumpto pallio, retrorsum incederunt ne viderent nuditatem patris sui, et eius pudenda cooperuerunt. Et, Noacho e somno expergefacto, narravit ei uxor eius quidquid accidit. Et iratus est Chamo, filio suo, et consti- 15 tuit eum servum servorum fratrum suorum.

Et post alia quae non est necesse *enarrare*, partitus est Noachus terram tribus suis filiis, Semo, Chamo et Iaphetho.

Et Semo obtigit haereditas totius mediae terrae, quae est in medio orbis, a finibus Aegypti et a mari rubro usque ad mare 20 Phoeniciae et Syriae. Et fuerunt Semo et filiis eius haec loca nota: Palaestina, tota Arabia, Phoenicia, Syria, universa Mesopotamia, Hyrcania, Assyria, regio Sennaar et Babelis, universa terra Persidis, et loca ei circumvicina, cum India septentrionali et reliquis locis orientālibus.

25 Et sors altera obtigit Chamo, filio secundo Noachi: ab austro Giḥonis *fluvii*, a dextera Paradisi, procedit ad austrum, et transgreditur omnes montes ignis, et procedit ad occidentem iuxta mare Atl[anticum][1], donec perveniat ad mare M a - ḥ ū q[2], in quod nihil descendit quod non pereat; et tendit ver- 30 sus aquilonem * ad promontorium Gadium et venit ad littus * p. 44. Maris magni usque ad flumen Gihonem, et procedit Giḥon donec perveniat ad dexteram Paradisi. Haec est regio quae obtigit in haereditatem Chamo et filiis eius, in generationes suas.

35 Et obtigit sors tertia Iaphetho, filio tertio Noachi: a regione

[1] In cod. ATL, quae litterae esse vox decurtata videntur. — [2] Nomen paullo inferius recurrit. Alibi non invenimus.

ultra fluvium T ī n ā [1], ab aquilone fontium eius, cum omnibus finibus Gog, et procedit ad aquilonem montis Q ṭ l [2] et ad mare M a ḥ ū q, et venit ab aquilone orientali et procedit usque perveniat ad occidentem A p g r a [2]. Haec est regio quae sorte haereditatis obtigit Iaphetho et posteris eius, magnae insulae 5 quinque et terra ampla septentrionalis, in generationibus eorum in aeternum.

Regio Semi nec calida est nec frigida, sed temperata calore et frigore; regio Chami calida est; regio Iaphethi, valde frigida. 10

Quindecim linguae sunt in mundo, quae sciunt scripturam et litteras. E Semo, quinque: Hebraei, Syri, Babylonii, Persae, Elamitae, ⌜Arabes⌝[3]. E Iaphetho, sex: Graeci, Iberi, Franci, Armeni, Medi, Alani. E Chamo, quattuor: Aegyptii, Cushitae, Phoenices, Indi. 15

Et vixit Noachus postquam exivit ex arca annos CCCL; et cum aegrotaret ad mortem convenerunt ad eum filii eius Semus, Chamus et Iaphethus, et Arphaxades et Sala. Et locutus est secreto cum Semo eique dixit: Vide, fili mi, Seme, statim ac mortuus fuero, ingredere arcam et educ ab ea corpus 20 patris nostri Adami, nemine sciente. Sume tecum panem et vinum, et etiam Melchizedecum, filium Malachi, quia hunc elegit Deus ut ministraret coram corpore patris nostri Adami; et adscendens depone illud in centro terrae; et ibi habitare fac Melchizedecum. Et ecce angelus Domini ibit ante 25 vos et ostendet vobis viam et locum ubi sepeliendus est Ada-

* p. 45. mus, id est * centrum terrae: quia ibi fiet salus. Et postquam haec praecepit Noachus Semo filio, mortuus est, secunda die mensis īyār, feria quarta, hora secunda. Et condivit eum Semus primogenitus eius et eum sepelivit. Et fecerunt super 30 illum planctum quadraginta diebus.

Colliguntur autem anni ab Adamo ad diluvium duo millia et CCXXXXII secundum traditionem chronographorum; secun-

[1] Sic ms.; fortasse *Tanaïs* fl. (?). — [2] Nomen frustra quaerendum in Lexicis. Quam ieiunae sint notiones geographicae compilatoris et quam inutile foret inanes coniecturas proponere, neminem fugit. — [3] Nomen a nostro additum.

dum autem Hebraeos anni sexcenti et sexaginta duo supra mille.

Generationes post diluvium. — Semus natus annos CII genuit Arphaxadem. Et ingressus est Semus nocte in arcam, et tulit corpus Adami; et signavit arcam sigillo Noachi patris sui. Et dixit Semus Malacho filio Arphaxadis, patri Melchizedeci: Da mihi Melchizedecum filium tuum, ut adscendat mecum et sit mihi comes in via. Et dixit ei: Duc in pace. Et sumpsit Semus Adamum, et profectus est ut iret nocte cum Melchizedeco. Et ecce angelus Dei ibat ante eos. Et cum pervenissent ad Golgotha, ostendit ei angelus centrum terrae. Et deposuit corpus Adami in spelunca; et vocatus est locus iste Calvarius, quia in eo depositum est caput omnium hominum, et Golgotha, ob rotunditatem eius; et r a ṣ ī ph t ā [1] quia in eo confractum est caput maledicti principis daemonum; et g ph ī ph t ā [2], quia ibi congregabuntur omnes gentes. Et praecepit Semus Melchizedeco ut sit sacerdos Dei altissimi; et dixit: Quia te elegit Deus ut ministrares hoc loco omnibus diebus vitae tuae, uxorem ne sumas, neque caesariem tuam tondas, neque sanguinem effundas, neque offeras hic bestiam aut volucrem sed panem et vinum tantum; neque aedifices hic aedificium. Et ecce angelus Domini descendet apud te singulis diebus. Et se invicem amplexi sunt. Et reversus est Semus ad fratres suos. Et dixerunt ei Malachus et uxor eius Iozadaca: Ubi *est* puer Melchizedecus? Et dixit eis Semus: Mortuus est in itinere. Et luxerunt eum *p. 46. vehementer. Vixit Semus annos DC, et mortuus est; et eum sepelivit Arphaxades filius eius.

Arphaxades natus annos CXXXV, genuit Cainanum. Neque hunc Cainanum neque summam annorum eius computant libri Hebraeorum in successione temporum. — Cum adolevisset Cainanus eum scripturam docuit pater eius. Et ivit ut aedificaret sibi locum et urbem; et invenit librum quem lapidi inscripserant antiqui, et legit eum, et sumpsit exemplar eius, et eo deceptus est, quia in eo scripta erat doctrina antiquorum ad

[1] I. e. « pavimentum »; vertit graecum λιθόστρωτος (Ioh., XIX, 14). — [2] I. e. « septum ». Sic legendum ([illegible] pro [illegible] perperam reliquimus). E *Spelunca Thes.* sumptus est locus.

dispicienda omina in sole, in luna, in stellis et in omnibus signis caelorum. Et id nemini manifestavit, quia timebat ne forte ei irasceretur Noachus. Et deceptus est hac doctrina, et dixit seipsum esse deum. Et post mortem Noachi, Cainani nepotes hunc tanquam deum adoraverunt, et honoraverunt, 5 et post eum erraverunt eique fecerunt statuas et idola in omni loco. — Et vixit Arphaxades annos DLXXX, et mortuus est. Sepelivit eum Cainanus, filius eius, in vico quem aedificaverat *appellato* de nomine suo Arphaxirat[1].

Cainanus natus annos CXXX genuit Salam. Et vixit Caina- 10 nus annos DLX, et aedificavit Ḥarran civitatem, de nomine Haran filii sui. Et mortuus est anno 27° Phalegi. Et sepelivit eum Sala, filius eius.

Sala natus annos CXXX genuit Heberum; secundum autem Hebraeos, natus annos triginta. Et fuerunt omnes dies vitae 15 Salae CCCCLXX anni. Et mortuus est et sepelivit eum Heber, filius eius, in Beth Šelaḥim, vico quem aedificavit sub nomine suo.

Heber natus annos CXXX genuit Phalegum; secundum autem Hebraeos, natus annos XXX. 20

Et anno 120° Phalegi divisa est terra inter gentes ortas e * p. 47. filiis Noachi, Semo, Chamo * et Iaphetho. Et adscenderunt ex Oriente, et invenerunt planitiem in terra Sennaar et in ea habitaverunt. Et lingua una erat omnibus, ab Adamo usque ad aedificationem turris, scilicet lingua hebraea. Alii autem 25 dicunt quod lingua syria, id est aramaea, loquebantur; ⌜quia ab ea derivat et in ea commixta est loquela omnium[2]; et est regina omnium linguarum. Et mortuus est Heber, et sepelivit eum Phalegus, filius eius, in pago Hebrīn[3] quem sub nomine suo aedificavit. 30

Phalegus natus annos CXXX genuit Ragavus; secundum autem Hebraeos natus annos XXX.

Aedificatio turris et divisio linguarum. — Initio vitae Ragavi, coeperunt posteri Noachi turrim aedificare in terra Sen-

[1] Sic. Nomen etiam in *Spel. Thes.* corrupte descriptum. — [2] Sententia parum concinne tradita. — [3] ‘Ebrīn, quod congruit cum scriptura semitica nominis ‘Eḇer quod, de more, vertunt Ḥeber.

naar, quia dicebant: Aedificemus nobis pagum et turrim; et faciamus nobis nomen antequam dispergamur et abeat unusquisque in suam haereditatem. Et Nemrod nutriebat aedificatores sua venatione. Protractum est autem tempus aedificatio-
5 nis ad quadraginta annos. Et sic elevata est haec turris, ut cum in plano conciperet iumentum quod, oneratum lapidibus et calce, sursum gradibus artificiose constitutis adscendebat, ibidem tempus pariendi ei contingebat. Vide, quam alta fuit et solida turris illa!

10 Et anno 40° Ragavi divisit Dominus linguas in Babel. Et decem annis post divisionem linguarum, coronam regiam cinxit Nemrod et fuit primus rex in terra, post diluvium. Et annis viginti post divisionem linguarum exierunt e Babel omnes populi, et abierunt quisque in terram haereditatis suae.
15 Et viderunt filii Canaani terram Palaestinae, usque ad fines Aegypti, valde bonam esse et iucundam. Erat autem terra Palaestinae filiis Iectani nepotibus Chami. Et placuit eis, et in ea sedem suam collocarunt; et * noluerunt abire in suam * p. 48. haereditatem, et transgressi sunt mandatum Noachi, sibique
20 comparaverunt maledictionem quam prophetice in eos pronunciavit.

Mortuus est Phalegus in summa tristitia et in lacrimis, quia diebus eius divisa est terra. Et sepelivit eum Ragavus, filius eius, in pago eius, Phalegin.

25 Fuerunt in terra linguae septuaginta duae.

Diebus Ragavi explicit millenarium tertium, secundum chronographos.

Fuerunt a diluvio usque ad divisionem linguarum, anni sescenti et quadraginta duo; secundum autem Hebraeos *anni*
30 trecenti et quadraginta.

Liber Hebraeorum dicit Abrahamum fuisse natum annos xxxx tempore divisionis linguarum. Et proiecit Nemrodus Abrahamum in fornacem ardentem, quia cultui idolorum non assentiebatur, sed mutata est flamma fornacis in rorem iucun-
35 dum. Dicunt autem chronographi Abrahamum natum esse annis ducentis post divisionem linguarum, diebus Nini regis. Diebus autem Nemrodi, adscendit ignis e terra et adoraverunt eum, eique sacerdotes constituerunt: et ab hoc tempore Persae

ignem adorare coeperunt. Nemrodus itaque aedificavit Edessam civitatem et urbes alias.

Erat autem hoc tempore, in Oriente, vir solitarius e posteris Noachi qui vocabatur Ioniṭon. Is abiens fecit sibi otium et recessit ab aerumna, cura et molestia quibus versabantur homines. 5 Et firmiter perseveravit in operibus praeclarae virtutis et vixit in abnegatione. Et ipse primus in hoc mundo viam sublimem asceseos monstravit. Propterea data est ei sapientia cum gratia et scientia omnium rerum; et tradidit ceteris doctrinas et scientiam de circulis sphaerae, de motibus stellarum, et de 10 cuncta ratione virtutum quae sunt in firmamento; etiam notionem virtutis radicum e terra, et earum efficaciae cum * p. 49. multis aliis memoratu dignis. A viris * huius generationis habebatur ut propheta magnus et summus sacerdos famosus.

Et anno 109° Ragavi, misit Dominus ventum validum qui 15 evertit turrim; et in ea mortuus est Nemrodus cum multis aliis.

Ragavus natus annos cxxx genuit Sarugum; secundum autem Hebraeos, natus annos xxxii.

Diebus Sarugi crevit idololatria in terram, et evanuit nomen 20 unius Dei e cordibus hominum, quia non habebant doctores et legislatores; et propter suam aberrationem adorabant solem, et lunam, et sculptilia, et quamlibet figuram in caelo et in terra. Et cum non haberent spem resurrectionis, mortuis suis faciebant statuas et eas adorabant, ne eorum obliviscerentur. 25 Mortuo autem quodam viro divite, fecit ei filius eius statuam et in hanc statuam ingressus est Satanas, et loquebatur cum iuvene. Quodam die ingressi sunt latrones et quidquid possidebat is iuvenis furati sunt. Progressus autem ad sepulcrum patris sui, flebat. Et dixit Satanas iuveni: Noli flere coram me; 30 sed adduc filium tuum parvulum et eum offer mihi oblationem; et restituam tibi quidquid perdidisti. Et adduxit filium suum, et immolavit eum, et se abluit in eius sanguine. Et docuit illum *Satanas* magiam, sortes et auguria, et omne genus aberrationis. Et inde coeperunt homines immolare filios suos daemonibus 35 et statuas adorare.

Hoc tempore cum viderent posteri Semi non sibi contingere suam partem haereditatis, sibi constituerunt e suis fratribus

tres reges: Saba, Ophir et Havila. Hi tres reges fortissimi familiae Iectani coeperunt arma fabricare, et progressi sunt in bellum adversus populos qui terram eorum obtinuerant; et in omnes praevaluerunt, quia cum armis dimicabant et nemo 5 adhuc inter populos intrumenta bellica comparare didicerat. Propterea fugiebant ante illos et aedificabant sibi arces. * Et * p. 50. cum vidissent populi se devictos ab eis fuisse regionem haereditatis eorum eis tradiderunt. Et tunc coeperunt populi instrumenta bellica sibi comparare, et insurgere gens in gentem et 10 tribus in tribum, alter alterum captivare, servos et ancillas vendere et emere.

Hoc tempore, ipsae mulieres bello clarescebant, et etiam regnabant. Et exinde servabant legem non educandi masculos, sed feminas. Semel in anno concumbebant cum viris suis, et 15 filios masculos remittebant ad viros suos. Et usque ad tempus Salomonis regis mulieres regnabant.

Hoc tempore fecerunt mensuras et pondera, et vestes sericas et omne genus texturae.

Et mortuus est Ragavus; et eum sepelivit Sarugus, filius 20 eius, in pago ipsius 'A r ū ' ū n[1].

Sarugus natus annos cxxx, genuit Nachorum; secundum autem Hebraeos, natus annos xxx. Liber Hebraeorum ab Adamo ad Nachorum centum annos minuit cuique patriarcharum, praeter quam Iaredo, Mathusalae et Lamecho.

25 Anno 12° Nachori regnavit in Aegyptum Pharao, rex quartus; et ab hoc Pharaone, coeperunt reges Aegypti vocari Pharaones.

Hoc tempore fuit certamen Iobi cum Satana per septem annos: et vicit triumphavitque. Quidam dicunt *serius* post 30 annos sexaginta fuisse eius certamen.

Hoc tempore adduxerunt in Aegyptum libros astrologiae.

Armonius chananaeus habuit filios: Sodomam et Gomorrham, qui aedificarunt civitates et cas appellaverunt de suis nominibus.

35 Et mortuus est Sarugus, et sepelivit cum Nachorus filius eius.

[1] Sic. In *Spel. Thes.* nomen scriptum est 'A w r ' ī n.

Nachorus natus annos XXIX, secundum omnes chronographos, genuit Tharam.

Hoc tempore aedificata est Damascus civitas.

Et anno 100° Nachori, misit Deus procellam magnam, quae *p. 51. evertit omnes statuas et terra eas obruit; * eam appellant 5 scriptores antiqui turbinem typhonicum. Et facti sunt colles; et in eis detrusit Deus daemones qui habitabant in statuis et in idolis. Illi enim colles propter idola facti sunt, et in eis obruuntur, et non est collis in quo non sint daemones. Et hac de causa fuit procella venti, hoc tempore. Quidam dicunt 10 tempore diluvii factos fuisse colles; sed in hoc erraverunt, nam ante diluvium non erat idololatria in terra, sed propter luxuriam domus Caini Deus diluvium fecit.

Thara natus annos LXX genuit Abrahamum.

Sunt ab Adamo ad Abrahamum anni MMMCCCXXIX, secun- 15 dum opinionem chronographorum; secundum autem Hebraeos, anni MMII.

Abrahamus natus annos duodecim aberrationem terrae intellegere coepit; nam omnes homines seductione sculptilium et conflatilium detinebantur. Et tempore sementis cunctus po- 20 pulus egrediebatur, quisque ad protegendum semen suum adversus corvos; Abrahamus autem cum reliquis egressus est. Et clamabat corvis dicens: Revertimini, revertimini in locum ex quo venistis. Et revertebantur. Et hoc die septuagies corvos abegit. Et invocavit deum caeli; et exaudivit eum, et 25 liberatus est a corvis. Et inde novit Abrahamus Deum, et promisit illum colere. Et se separavit a patre suo. Et crevit nomen Abrahami in omni regione Chaldeorum. Et docuit fabros facere dentale ad extrema aratra quibus infunderent semen: et descendebat semen terraque obruebatur. Et non am- 30 plius timuerunt a corvis.

Aliquando dixit Abrahamus patri suo Tharae: Quid utilitatis vel auxilii est in istis idolis quae colis? Stupor et error cordis sunt tantum; opus sunt manuum; deferuntur super *p. 52. humeros vestros et non est * in eis spiritus. Cole Deum caeli 35 qui descendere facit pluviam et rorem et quidquid vult facit in caelo et in terra. Et respondit ei: Et ego scio, fili mi. Sed quid faciam toti populo, qui me constituit ut ministrarem

coram illis. Et si dixero eis veritatem me occident; quia animi eorum idololatriae addicti sunt. Sed tace, fili mi, ne te necent Et natus annos LVI ignem subiecit Abrahamus templo Cainani. Et Haran, frater Abrahami, ingressus est ut liberaret templum ab incendio, sed igni consumptus mortuus est.

Et natus annos LX exivit Abrahamus, cum Thara patre suo, Nachoro fratre suo, et Loto Haranis filio, ex Ur Chaldaeorum, et venerunt habitare in Ḥarran, annos XIV.

Et anno 5°, prima die mensis septimi, cum esset Ḥarran Abrahamus, sedebat nocte ad examinandas stellas a vesperis ad auroram; ut videret quomodo disponant pluviam per annum. Et dum contemplatur, venit sermo in ore eius, et dixit: Omnia signa stellarum et lunae et solis in manu Dei sunt; ad quid speculor. Si voluerit enim Dominus demittet pluviam sive praecocem sive serotinam, et si noluerit, non descendet pluvia. Et oravit Abrahamus hac nocte et dixit: Deus, Deus meus, tu solus es Deus altissimus. Libera me ab errore huius populi, et dirige ante me viam quae tibi placeat. Et cum desineret orare, venit ad eum vox dicens: Recede e terra tua, et e gente tua, et e domo patris tui in terram quam tibi monstrabo. Et faciam te in populum magnum, et benedicentur in te omnes gentes terrae. Et post duos annos petiit Abrahamus a patre suo ut iret in terram Chanaan. Et dixit ei: Vade in pace. Deus saeculorum firmet viam tuam, et nihil nocivum in te praevaleat. Et abiit Abrahamus ex Ḥarran in terram Chanaan, natus annos LXXV, cum * Sara, uxore sua, et Loto, filio fratris sui. Et postquam ibi fuerat annos XX, natus est ei Ismael, ex Hagar ancilla aegyptia, quae data est ei a Pharaone, rege Aegypti. Lotus autem, filius fratris eius, ivit habitatum Sodomae. Homines autem Sodomitae graviter peccabant. Abrahamus ipse habitavit Hebron. Et venerunt rex Elam, et rex Sennaar ceterique reges circumvicini, et in captivitatem abduxerunt Sodomam, et Lotum, filium fratris Abrahami, cum omni possessione eorum. His auditis, Abrahamus armavit domesticos suos et hos reges persecutus, quidquid ceperant Sodomae reduxit. Et venit rex Sodomae, qui prostratus coram Abrahamo dixit *ei:* Da mihi animas quas liberasti: pecora autem et reliqua omnia sint tua. Et dixit Abrahamus: Absit a me, per

* p. 53.

Dominum, ut accipiam a te filum aut lorum calceamenti, ne dicas: Ego Abrahamum ditavi. Et cum reversus esset Abrahamus e caede regum, vocante eum providentia divina, transiit in montem Iebus; et occurit ei Melchizedecus, sacerdos Dei altissimi. Et quando vidit Abrahamus Melchizedecum cecidit in 5 faciem suam, adoravit eum et eum amplexus est, et ab eo benedictionem accepit. Et benedixit Abrahamo Melchizedecus eumque participare fecit pani oblationis et vino salutis. Et dedit Abrahamus Melchizedeco decimas omnium rerum quas secum habebat. Postea factum est verbum Domini ad Abrahamum, 10 et dixit ei: Ego sum adiutor tuus, propter ea quae fecisti, et merces tua valde augebitur. Ego te eduxi ex Ur Chaldaeorum in hanc terram, quae erit tibi et semini tuo. Et eduxit eum foras eique dixit: Respice caelum, et vide, si potes numerare stellas quae sunt in firmamento. Etiam semen tuum innumerabile 15 erit. * Et credidit Abrahamus Deo, et reputatum est ei in iustitiam. * p. 54.

Abrahamus natus annos LXXXXIX accepit a Deo promissionem de nativitate Isaaci.

Hoc anno, descendere fecit e caelo Dominus ignem et sul- 20 phur, et consumpsit Sodomam et loca circumvicina. Et antequam descenderet ignis et sulphur e caelo, descenderunt duo angeli, et viderunt opera Sodomitarum, et eduxerunt Lotum et uxorem eius duasque filias eius cum eo; et eis dixerunt angeli: Quicumque conversus respiciet retrorsum morietur. Et 25 cum, illis recedentibus, plueret ignis et factum esset incendium, et loci incolae ederent vocem lamentationis, conversa est uxor Loti ut videret quid accidat civitati: et facta est statua salis; quia transgressa est praeceptum Dei. Lotus autem et filiae eius adscenderunt in montem et habitarunt intra speluncam. Et 30 putaverunt filiae Loti homines non superstites esse in facie terrae. Et dixerunt altera ad alteram: Nunc deficiet successio mundi, quia non mansit vir in terra. Sed veni; artificio utamur, propinemus vinum patri nostro et inebriamus eum, et perturbetur mens eius, et dormiamus cum eo una et altera, et sus- 35 citemus ab eo propaginem mundi. Et propinaverunt patri suo vinum, et dormivit eum eo prima nocte natu maior et concepit; et nocte sequenti dormivit cum eo minor natu, et concepit.

Et senior peperit filium quem vocavit nomine Moab: is est pater Moabitarum; et peperit iunior filium et vocavit eum nomine Ammon: is autem pater est Ammonitarum. Et in his quae facta sunt non vituperatus est Lotus iustus: quia invitus id
5 fecit; et contulit ei Dominus gloriam; nam e propagine eius et Abrahami natus est Christus.

Abrahamus natus annos c genuit Isaacum. Et natus annos xv, a patre suo oblatus est Isaacus in holocaustum Deo, in monte Iebus, ubi infixa fuit crux Domini nostri, secundum opinio-
10 nem Ecclesiae. Ibi germinavit arbor illa quae portavit agnum * qui liberavit Isaacum. Et idem locus fuit sepulcrum Adami, et altare Melchizedeci. * p. 55.

Anno 40° Isaaci, Abrahamus uxorem duxit Ceturam: quia recollectae fuerant *inter mortuos* Sara et Hagar, uxores eius.
15 Et post annum, discessit Isaacus ab Abrahamo, patre suo.

Abrahamus tentatus est decies, et inventus est fidelis in longanimitate sua.

Isaacus natus annos xxxx, uxorem duxit Rebeccam. Et anno sexagesimo concepit Iacobum et Esaum. Et ivit ad Melchize-
20 decum ut interrogaret Dominum, quia filii in sinu eius collidebantur. Et benedixit ei *Melchizedecus* eique dixit[1]: Duo filii sunt in visceribus tuis id est duas gentes paries; et reliqua.

Anno 61° peperit Iacobum et Esau.

Et vixit Abrahamus annos CLXXV. Et mortuus est anno 15°
25 Iacobi.

Iacobus natus annos LXXVII descendit Ḥarran apud Labanum, matruum suum; et natus annos LXXXIV duxit uxores Liam et Rachelem, filias Labani. Et anno 85° genuit Ruben; et anno 89° genuit Levi, et successive duodecim filios suos.
30 Et anno 3° Levi, natus est Iosephus. Et anno 10° Levi, adscendit Iacobus apud Isaacum patrem suum; quia aufugerat coram Esau, fratre suo.

Et anno 20° Levi, Iosephus a fratribus suis venditus est.

Hisce diebus rursum ivit Iacobus, cum Lia uxore sua, apud
35 Isaacum patrem suum, ut visitaret eum. Et aliquando vidit Ruben Balam, concubinam patris sui, se lavantem aquis in se-

[1] *Gen.*, xxv, 23.

creto, et amore eius captus est. Nocte autem secreto ingressus est tabernaculum Balae, et dormivit cum ea in lectulo. Et tenuit eum et clamavit; sed cum cognovisset eum esse Ruben coram eo pudore suffusa est, et relaxavit eum. Et afflicta est valde ob id factum, et nemini revelavit. Et cum venisset Iaco- 5 bus et eam requireret, dixit ei: Non sum tibi munda; quia pol- * p. 56. luit me Ruben filius tuus, et dormivit mecum, dum * somno capiebar; et non novi eum antequam revelaret sinum meum. Et valde iratus est Iacobus filio suo Ruben, quia dormivit cum Bala et occulta patris sui revelavit; et maledixit ei et dixit: 10 Sicut aqua effusus es; non crescas. Et non rursum cognovit Iacobus Balam. Et Ruben imposuit ieiunium ne comedat carnem neque bibat vinum, propter delictum eius. Et ideo scriptum est in lege[1]: Qui dormierit cum uxore patris sui morte morietur. Parcitum est autem Ruben quia nondum leges, prae- 15 cepta et iudicia revelata erant.

Anno 31° Levi, mortuus est Isaacus, natus annos CLXXX. — Et post mortem Iacobi, altercati sunt filii Esau cum patre suo et dixerunt ei: Quare cum sis Iacobo fratre tuo senior, pater tuus ei tamen qui te iunior est, benedictionem et exaltationem 20 dedit? Et dixit Esau filiis suis: Quia ego dedi benedictionem et exaltationem Iacobo fratri meo, pro vili lentis pulmento. Et die quo misit me pater venatum ut comederet et benediceret mihi, dolose venit Iacobus cum edulio et ingressus est ad patrem meum, qui ei benedixit meque posuit sub manu eius. Et tunc 25 nos iurare fecit pater meus, me et illum, ne quis nostrum fratri suo noceret, sed essemus in quiete et pace. Dixerunt ei filii eius: Non consentimus tibi, ut faciamus pacem cum eo; nam vis nostra validior est vi eius, et nos fortiores illo sumus. Ibimus in eum et occidemus eum et filios eius. Et si tu nobiscum 30 non progredieris, etiam te male tractabimus. Et nunc, audi nos, faciamus cum eo bellum, et deleamus eum de terra priusquam potens factus sit. Et eis dixit Esau pater eorum: Nolite progredi et facere cum eo bellum, ne forte incidatis in manus * p. 57. eius et vos destruat. Et ei dixerunt filii eius: * Tale fuit opus 35 tuum a iuventute tua usque hodie. Curvasti collum tuum sub

[1] Cf. *Lev.*, xx, 11.

iugo eius. Non te audiemus. — Et hisce diebus mortua est Lia, uxor Iacobi. Et sedebat in luctu ob mortem uxoris suae. Et miserunt filii Esau, et pretio conduxerunt quattuor milia virorum potentium ex Aram et Edom, et dixerunt patri suo: Surge, dux noster sis; alioquin te occidemus. Et repletus est Esau ira et furore, cum videret filios suos qui eum urgebant ut progrederetur adversus fratrem suum. Et recordatus est malitiae quae olim latebat in corde suo adversus fratrem suum; et non recordatus est iuramentorum quae iuravit patri et matri, scilicet non faciendi malum fratri suo. Haec omnia ignorabat Iacobus, sed luctum agebat super Liam uxorem suam, donec pervenirent ad aulam eius, cum quattuor milibus virorum. Et miserunt cives Hebron et dixerunt Iacobo: Frater tuus venit in bellum adversum te. Iacobum enim diligebant plus quam Esau, quia Iacobus fuit vir misericors et benefaciens plus quam Esau. Sed non credidit Iacobus, prius quam pervenerint in aulam eius. Et statim cum festinatione clausit ianuas aulae et supra tectum adscendit; et allocutus est Esau fratrem suum eique dixit: Quam pulcra consolatio ut venias me consolari de uxore mea quae mortua est! Haec sunt iuramenta quae bis iurasti patri tuo et matri tuae ante eorum mortem? Iuramenta tua transgressus es. Respondit Iacobo Esau et dixit: Homines et serpentes non habent iuramenta vera quae sibi invicem iurant; sed cotidie alii aliis malum volunt. Inimici estis, tu et filii tui, mihi et filiis meis, in aeternum; nec tecum mihi facienda est pax. Ait Iacobus: Noli ita agere, frater mi. Ego in corde nullam malitiam habeo adversum te; noli cogitare adversum me malum. Scias Deum esse qui videt occulta et reddet unicuique secundum opera eius. * Sedes furorem et iram tuam, et nihil agas cum praecipitatione, ne tibi obveniat malum. Tum respondit Esau, et aspere dixit: Audi quae tibi dicam. Si mutaverit aper pellem suam in molle vellus, et si adscenderint in caput eius cornua cervi, tunc faciam tecum amicitiam; et si fecerint lupi pacem cum ovibus nec eis nocuerint, et si fuerit leo socius bovis et cum isto traxerit iugum, et si fuerint corvi albi sicut cycni, tunc faciam tecum pacem. Et cum videret Iacobus Esau toto corde et tota mente venisse ut ipsum occidat, tunc dixit filiis suis ut adversus eum procederent. Dixit

* p. 58.

Iudas Iacobo patri suo: Non possumus stringere gladium in faciem fratris tui, quia est velut tu ipse in oculis nostris. Tende arcum, perde osorem tuum et occide inimicum tuum, quia frater tuus est; reliquam vero pugnam nobis committe et nihil amplius sollicitus sis. Tunc tetendit arcum suum Iacobus et, misso telo, percussit Esau fratrem suum in latere dextero et deiecit eum. Et emisit telum alterum, et percussit Aruadam ex Aram, in latere sinistro et eum occidit. Et cum vidissent filii Iacobi Esau mortuum esse, aperuerunt portas aulae, et exierunt cum servis suis et trucidarunt quidquid obviam invenerunt, et non aufugerunt nisi quattuor filii Esau, qui patrem suum mortuum iacentem dereliquerunt. Tum exiit Iacobus et sepelivit fratrem suum Esau; et reversus est cum filiis suis in aulam.

Post haec accepit Iudas uxorem filiam Suae chananaeam, e regione Chanaan; id aegre tulit Iacobus, qui ei dixit: Deus Abraham et Isaaci ne permittat semen Chanaan misceri in generationibus meis. Et nati sunt Iudae e filia Suae chananaea, Her, Sela[1] et Onan. Et uxorem dedit Iudas primogenito suo
* p. 59. Her, Thamar filiam [Caini filiae][2] Levi. * Her concubitu sodomitico utebatur; et ei mortem intulit Deus. Et dixit Iudas Selae fratri Heri[3]: Ingredere ad Thamar viduam fratris tui, et suscita semen fratri tuo. Et cum sciret Sela semen non sibi fore, sed fratri suo, cum coniungebatur cum ea effundebat semen suum in terram, ne sint ei liberi. Et sic male egit coram Deo qui ei mortem intulit. Et dixit Iudas ad Thamar: Sede in domo patris tui in viduitate, donec creverit filius meus Onan, et erit tibi maritus. Et crevit Onan, sed non permisit filia Suae Onano ut duceret Thamar uxorem. Et mortua est filia Suae, uxor Iudae. Et post tempus adscendit Iudas in Thamnas, ut tonderet gregem suum in Thamnas. Et dictum est Thamar: Ecce socer tuus adscendit ad tondendum gregem suum in Thamnas. Ispa autem reiecit vestimenta viduitatis, induit theristrum, se ornavit et sedit in via quae ducit ad Thamnas. Et cum venisset Iudas in hunc locum, et eam vidisset putavit esse meretricem, et ait ei: Ingrediar ad te. Illa

[1] LXX: Σηλώμ. — [2] Haec recte omittit *Spelunca Thes.* — [3] Sic; mutatis partibus Selae et Onani; cf. *Gen.*, XXXVIII, 4-10.

dixit ei: Da mihi mercedem meam. Et dixit ei: Non habeo mecum nisi annulum, baculum et mantile. Et dixit Iudae: Haec da mihi, donec miseris mercedem meam. Et respondit ei: Mittam tibi haedum caprarum. Et fuit cum illa, et concepit ab eo. Et abiit Iudas ad gregem suum; et misit haedum per amicum suum Arlamitam[1]. Sed is non invenit eam. Et interrogavit homines pagi: Ubi est meretrix quae hic erat. Dixerunt ei: Non est hic meretrix. Et reversus est ad Iudam eique dixit: Non inveni meretricem; tum interrogavi homines pagi, et responderunt mihi: Non est hic meretrix. Et ait Iudas: Numquid sit ludibrium? Et post tres menses visa est gravida; et dixerunt Iudae: Ecce Thamar, nurus tua, e fornicatione concepit. Et adiit Iudas patrem et fratres eius eisque dixit: Educite eam ut igni comburatur, quia fecit abominationem in Israel. Et dum educunt eam * ut comburatur, misit ad socerum suum annulum, baculum et mantile, eique dixit: Scito cuius sint haec; ab illo enim concepi. Et agnovit ea Iudas, et dixit: Iustior me est Thamar. Et non combusserunt eam. Et ultra non cognovit eam. Et peperit ei duos filios geminos Phares et Zara. Et cognovit Iudas malum esse opus quod fecit, quia dormivit cum nuru sua et occulta filii sui revelavit. Et assidue Deum pro peccato isto deprecabatur. Et dictum fuit ei in visione: Dimissum est tibi; quia precavisti et supplicavisti. Et obtinuit condonationem, quia multum luxit super huiusmodi *factum*.

* p. 60.

Hoc tempore fuit dilivium, diebus Ogygis.

Hoc tempore regnabat in Aegypto ille Pharao cuius somnia interpretatus est Ioseph.

Levi natus annos xxxxvi genuit Cahat, secundum tres chronographos.

Cahat genuit Amram, natus annos lx.

Amram natus annos lxx genuit Moysen. Haec secundum Eusebium et Andronicum chronographos; secundum alios vero, natus annos lxxx.

Erat autem Iacobus natus annos cxxi cum Iosephus Aegypto praeponeretur.

[1] Intellege: Odollamitem; ܕ in ܪ mutato ut saepius accidit.

Hoc tempore fuit certamen Iobi iusti cum Satana per septem annos: et vicit trumphavitque. Quidam dicunt sexaginta annis antea id accidisse.

Subiecti sunt Hebraei Aegyptiis post mortem Iosephi, antequam nasceretur Moyses, annos LXIV. 5

Et anno nono dominationis Iosephi, qui fuit annus secundus famis, ingressus est Iacobus cum tota familia sua in Aegyptum. Et habitavit Iacobus in Aegypto XVII annos. Fuit autem vita Iacobi CXXXXVII annorum, et requievit in senectute bona et gaudio cordis; et eum sepelivit Iosephus filius eius. 10

* p. 61. * Hoc tempore erat ille Prometheus qui lepide dicitur formavisse homines; quia sapiens fuit eruditione et mutabat eos a stultitia.

Et vixit Iosephus annos CX; et mortuus est, et eum sepeliverunt fratres eius. 15

Anni servitutis filiorum Israelis in Aegypto sunt CCXV, ab ingressu eorum usque ad exodum eorum.

Hoc tempore exstabat Atlas, eruditus in astrologia.

Et post tempus fuerunt reges plures in Aegypto.

De muliere chushita quam duxit Moyses. — Pharaonem re- 20 gem Aegypti edocuerunt divinatores et magi eius virum e populo israelitico surrecturum qui regnaret in regno Aegypti. Et cum id audivisset Pharao rex Aegypti concepit corde suo inimicitiam; et praescripsit ut omnem masculum qui nasceretur Israelitis proicerent in flumen. Hoc tempore natus est 25 Moyses; et industria usa est mater eius, fecit arcam et deposuit in ea Moysen et misit arcam in flumen. Pharao autem habebat filiam cui nomen Merris, quam dedit uxorem Chenephrae regi Memphis, quae hisce diebus ad flumen descendit ut recrearetur; et vidit arcam, et tulit eam e superficie aqua- 30 rum, et aperuit eam viditque in ea puerum. et eum sumpsit educavitque; et fuit illi quasi filius. Quadam autem die tulit eum Pharao et posuit in genua sua, in gratiam filiae suae, et amovit coronam capitis sui et imposuit capiti pueri. Et instinctu divino sustulit puer coronam e capite suo, et humi 35 deposuit coram Pharaone, et pedibus calcavit eam, cum nes-

* p. 62. ciret discernere bonum a malo. Cum autem rex videret * quid a Moyse actum est hunc putavit esse qui regnaturus erat in

regnum Aegypti, prout ipsi dixerant divinatores; et voluit eum occidere: in gratiam autem filiae suae non occidit eum. Exspectabat autem tempus opportunum ut occidat eum. Id cum percepisset filia eius, sumpsit Moysen et eum dissimula-
5 vit donec creverit; et postquam crevit, tradidit eum, ut sapientiam Aegyptiorum disceret, Ianis et Mamres sapientibus, qui postea ei restiterunt suis incantamentis. Et didicit ab eis omnes disciplinas eorum, cura filiae Pharaonis; et incantationem, divinationem et universam artem magicam didicit. Et
10 audivit Pharao sapientiam eius. Hoc autem tempore venerunt Chushitae ut adversus Aegyptios bellum gererent. Pharao autem dixit filiae suae: Audivi Moysen doctum et praeclarum esse in omnibus scientiis. Mittam eum adversus hostes, et regnare faciam eum, per vitam meam, si inimicos vicerit. Illa autem
15 putavit dolum esse in corde patris sui, et ab eo iuramentum exegit. Et iuravit ei pater eius, se non occisurum sed exaltaturum Moysen. Tunc adduxit Moysen coram throno Pharaonis patris sui, qui eum constituit principem et ducem exercituum et eum misit in bellum ut in Aethiopiam mari descenderet,
20 quia nemo poterat arido in Aethiopiam ire, ob ingentem serpentium et viperarum quantitatem quae ibi est. Et adduxit Moyses avem quamdam quae est dissipatrix huius reptilis nocivi; nam ubi audit vocem avis omne reptile nocivum fugit et in longinquum recedit. Nomen huius avis est Hibis. Hanc
25 avem adduxit Moyses, et ei fecit sportam aeream, et secum eam tulit. Et coeperunt descendere per desertum; quia mare tenebant Chushitae. Et statim ac olfaciebat odorem reptilis haec avis dabat vocem, et reptile fugiebat. Et ita potuerunt in Aethiopiam descendere. Et cum pervenissent ad urbem, * vide- * p. 63.
30 runt eam flumine circumdatam esse, et ignorabant huius urbis ingressum. Quaedam autem mulier chushita e muro prospexit: erat autem filia regis; et vidit Moysen esse praeclarum et pulcrum; et concupivit illum, eique mandavit per interpretem: Si mihi iuraveris te me uxorem ducturum, ingressum urbis os-
35 tendam tibi. Iuravit ei Moyses et ingressum urbis illa ostendit. Tunc expugnavit urbem et eam vastavit. Et hanc mulierem, ut ipsi iuraverat, uxorem duxit et adduxit in Aegyptum, et fuit cum eo donec occiderit Chenephram, regem Memphis, maritum

Merris filiae Pharaonis. Causa autem eius caedis ita est: Hic maritus Merris, filiae Pharaonis, odio habebat Moysen, propter res praeclaras quas gerebat, et eum occidere volebat. Et misit Aegyptium quemdam qui occideret Moysen. Cum autem percepisset Moyses dolum eius, misit venenum letale per virum 5 fidum, qui familiaris erat huic Chenephrae; et ei propinavit: et mortuus est *rex*. Tunc timuit ne forte rem notam haberet Pharao, et ipsum perderet. Et occidit *virum* alium ex Aegyptiis, qui insurgebat adversus quemdam ex Hebraeis.

Fuit Moyses in Aegypto annos XXXX, et tunc occidit Chene- 10 phram; et fugit in *regionem* Madian apud Raguelem; et ibi fuit pastor gregum. Et duxit uxorem Sepphoram, filiam Raguelis; et ex illa nati sunt ei duo filii: Gersom et Eliezer, sicut scribit Iosephus in suo libro. Et fuit in *regione* Madian annos XXXX. 15

Hoc tempore, rex Aegypti cogebat Hebraeos in opere luti et laterum. Et restitit Moysi et Aaroni. Et cum audiret filios Israelis aufugere voluit eos prohibere; et persecutus est eos et submersus fuit in mari Rubro, ipse cum curribus et exercitibus suis, quia restitit Deo. 20

* p. 64. * Quare usque ad Moysen alteri non revelata est scientia creaturarum et creationis caeli et terrae, et ceterorum? — Postquam mutaverunt loca, linguas, regiones, mores legesque, paullatim periit ab hominibus scientia unius Dei, et facti sunt inventores erroris, et multiplicata sunt idola in terra. Et adve- 25 nit tempus quo Deus Abrahae promiserat se liberaturum ab errore semen eius. Tunc revelavit Moysi creationem mundi, et eum docuit esse Deum, et hunc mundum esse creatum, et quomodo *creatum* fuit, et quae fuerint prima, quae media, quae novissima; et bonitate Dei eiusque sapientia omnia creata esse. 30

Moyses natus annos LXXX eduxit populum ex Aegypto, et fuit eorum dux per annos XXXX.

Ab Abrahamo ad Moysen sunt anni 420. Ab Adamo usque ad exitum filiorum Israelis ex Aegypto sunt anni 3729.

Sacerdos primus qui constitutus est filiis Israelis fuit Aha- 35 ron, frater Moysis. Anno 38° post exodum populi, mortuus est Aharon; et sepelivit eum Moyses, frater eius. Et accepit sacerdotium post eum Eleazar filius eius.

Anno 40° exodi filiorum Israelis, mortuus est Moyses propheta, natus annos cxx; et involverunt eum Angeli, et sepelivit eum Deus in monte Nebo; et nemo novit sepulcrum eius usque in hanc diem.

5 Iosue filius Nun iudicavit populum post Moysen, annos xxiv; et vastavit septem populos; et occidit xxxi reges Chananaeorum, et divisit terras eorum in haereditatem filiis Israelis. Et vixit * annos cx; et mortuus est in senectute bona. Et sepeliverunt eum filii Israelis, ⌈in Gabaath, pago eius[1].

* p. 65.

10 Hucusque scripsimus e quinque libris Moysis, et e libris ceterorum chronographorum.

Othoniel iudicavit populum annos xxxx.

Hoc tempore locuta est asina Balaami, harioli et cultoris Dei, propter negotium Balac regis Moab[2]. Post mortem Iosue filii 15 Nun, filii Israelis impio Chushan annos octo subiecti sunt.

Hoc tempore mortuus est Eleazar sacerdos; et sacerdotium post eum accepit Phinees, filius eius, sacerdos tertius.

Ahōr[3], e tribu Ephraim, iudicavit populum annos LXXX, post Othonielem.

20 Hoc tempore subiectus est populus Eglon, regi Moab, annos XVIII.

Anno 25° Ahōr explicit millenarium quartum.

Hoc tempore aedificata est civitas Ḥalebum.

Hoc tempore accidit res equi volatilis[4].

25 Hoc tempore rex Thebarum[5] modulationibus suis lapides commovebat; si lapides[6] erant qui audiebant eum.

Hoc tempore nota erat Phemonoe[7] vates, quae hexametris vaticinabatur.

Debora et Barac iudicarunt Israelem annos xxxx, post Ahor.

30 Subiecti sunt Hebraei Iabin regi, annos duo.

Gedeon, e tribu Manasse, iudicavit populum annos xxxx.

Post Deboram et Barac subiectus est populus Madianitis annos septem.

Hoc tempore Tyrus civitas aedificata est.

[1] Sic per lapsum, probabilius amanuensis. Haec ad Eleazarum Aharonis filium spectant (*Ios.*, XXIV, 33). — [2] Cf. *Num.*, XXII. — [3] Hebr. Ahod. — [4] Pegasus. — [5] Amphion. — [6] Intellege « lapidei »; cf. Eus. *Chron.* ad ann. 693. — [7] Nomen corruptum in textu.

Abimelech, filius concubinae, iudicavit populum annos tres. Is occidit LXX fratres suos, et ipse solus regnavit.

Thola iudicavit populum annos XXII.

Iair iudicavit populum annos XXIII.

Iephte galaadites iudicavit populum annos sex. 5

Et post Tholam subiecti sunt Hebraei Ammonitis annos XVIII.

A tempore Moysis usque ad Iephte fuerunt anni 300.

* p. 66. * Abdon Pharathonites iudicavit populum annos octo; et mortuus est et sepultus fuit in Pharathon.

Et post eum subiecti sunt filii Israelis Philistaeis annos 10 quadraginta.

Samson, fortissimus, iudicavit populum annos XX; et mortuus est cum Philistaeis.

Hesbon iudicavit populum annos septem.

Hoc tempore Daedalus[1] statuas ambulantes facere putabatur. 15

De pugnis adversus Ilium civitatem et eius vastatione. — His temporibus, dum *regimen* tenebant iudices Israelitarum, paullo post Iosue filium Nun, diebus Hesbon iudicis, dum tenebant Graeci imperium potens insularum maris, vir quidam Alexander Paris nomine, filius Priami, regis Ilii, profectus cum 20 exercitu navali, mari gressus est usque ad insulas Rhodum et Cretam; et rapuit Helenam uxorem Menelai regis, eamque adduxit Ilium civitatem suam magnam, ad mare asiaticum sitam, quae decora et illustris erat, et muris validis cincta erat, et in toto orbe famosa. Nobis autem visum est hic consignare 25 memoriam eius, propter eius ruinam magnam, sicut invenimus in chronographia Homeri, quae incipit historiam eius *civitatis* libro XXXXIII usque ad LI, et sic libris octo concluditur narratio de illa. Erat quidam e regibus Graecorum qui vocabatur Thasus, et ei nata est filia Nuna nomine. Eam desponsavit alicui e re- 30 gibus Graecorum: quia pulcherrima erat adspectu. Huic itaque Nunae natae sunt ex eo duae filiae; unam vocavit pater eius Cleomnestram, et eam desponsavit cuidam e regibus Graecorum

* p. 67. qui vocabatur Agamemnon. Alteram autem filiam * vocavit Helenam: hanc *nempe* propter quam tota Graecia perturbata 35 est, et Ilium civitas magna eversa est. Eximia enim erat haec

[1] Nomen corruptum in textu.

puella quae similem non habebat. Et cum diffusa esset fama eius inter Graecos, plures ad patrem eius convenerunt ut eam suis filiis desponsarent. Pater eius respondebat eis: Nunc quid faciam? Non possum illam nisi uni ex vobis dare. Dixerunt ei: Ita sane, uni tantum concedenda est. Et ipse respondit dicens: Quid faciemus? et cui ex vestris dabo eam: cum omnes estis parati decertare propter illam? Et post multa, pactum est inter eos: ut licitum sit eius patri dare eam cui vellet. Et ipsi pacta et iuramenta sibi mutuo fecerunt, ne propter eam decertarent, et si quis dolum aut fraudem adhiberet, ut conaretur eam rapere e rege, ceteri sint huic inimici et ab eo vindictam sumant. Et postquam constituerunt patri puellae iuramenta formidanda iuxta eorum religionem, desponsavit eam Menelao, fratri Agamemnonis, generi sui alterius, ut sit in vicinia sororis suae Cleomnestrae. Et re peracta solutaque festivitate, abierunt quisque in suum locum. Priamus rex Ili habebat filios eximios, fortissimos et visu pulcros, quorum unus vocabatur Alexander Paris. Fama autem istius Helenae diffusa in his regionibus, inflammatus est Alexander eius cupidine; et paravit naves multas et ingentem populum cum armis, instrumentis bellicis, rebus necessariis et annona, et mari progressus, pervenit ad Rhodum insulam Menelai regis, mariti Helenae pulcritudine famosae; quasi veniret ad eum consalutandum et ad videndam eius uxorem, ad honorem et munera proferenda sponsae novae et gloriosae regique collegae. Et postquam naves * et viros armatos in loco abscondito maris dissimulavit, ipse cum paucis viris ad insulam appulit. Quo audito, Menelaus surgens cum gaudio exiit obviam ei corde sincero; et eum excepit cum honore et magna cum pompa introduxit. Tum quidem sponsa Helena sedebat in quodam conclavi superiore, et prospiciebat e fenestra ut videret filium regis qui veniebat ad eos salutandos. Haec autem cum vidisset Alexandrum primo intuitu arsit ardenti amoris igne erga eum, et eius dilectione inflammata est; quia et ipse pulcerrimus adspectu erat et praestantia decorus. Postquam autem ingressus est palatium regium, et gavisi ac laetati sunt cum hospite novo et bono qui venit apud eos, se paravit ipsa regina Helena ut veniret et videret filium regis qui venit apud eos, pro more Graecorum. Et constitutus est ei locus

* p. 68.

honoratus, quem ornaverunt vestibus preciosis et purpura regia. Et se movit ut descenderet in magno splendore, et ingressa sedit in lectulo cum marito suo et familiaribus, et regione Alexandri Paridis et eunuchorum eius. Et cum se mutuo adspexissent, magis inflammati sunt et arserunt mutuo amore. 5 Et dum ceteri manducabant, bibebant et delectabantur, ipsi oculos suos alter in alterum defigebant et sibi innuebant et per signa concordiam iniebant. Post autem diem unam et alteram ex quo advenit apud eos, ecce subito occurrit nuntium quoddam metum iniciens, *nempe* turmam praedonum mare 10 ingressam esse et depraedari, populari et vastare insulas potestati Menelai subiectas. Is vero, his auditis, festinans conscendit naves celeres ad bellum aptas, cum omnibus militibus suis; et mare percurrerunt ut assequerentur latrones, liberarent captivos et locum salvarent. Dedit autem mandata do- 15 mesticis suis circa ministerium in honorem hospitis, donec rediret e persecutione latronum. Ivit quidem ille oppressus, * p. 69. * cum ne suspicionem quidem haberet de eis quae ad ruinam domus eius agebantur. Postquam autem recessit ab urbe, nocte convenit regina iuvenis Helena cum Alexandro in quemdam 20 locum. Inierunt ambo consilium et conspirationem fecerunt, damnorum plenam et bellorum genitricem. Et alia nocte surrexit *Helena* et sumpsit servos suos et ancillas suas, etiam armillas et ornatum suum ceterasque res sibi utiles, quae mulis imposuerunt, et exierunt e palatio atque ad litus maris des- 25 cenderunt. Et venerunt ad eos naves aliae quae latebant in mari. Et rapuerunt sponsam cum sarcinis eius. Et ingressi naves, celeriter mari profecti sunt; et recedentes transierunt in mare aliud. Post autem dies paucos pervenerunt in suam regionem. Et concurrerunt nuntii qui regem Priamum eiusque fi- 30 lios certiores facerent de adventu Alexandri Paridis et de sponsa Helena quae cum ipso venerat. Et exierunt obviam ei iter diei in magna pompa. Et celebravit tota urbs Ilium honorem regis et sponsae eximiae quam adduxit, cuius nomen famosum erat in universa terra. Et fecerunt ei convivium et festum nuptiale 35 magnum cum gaudio; et commotus est totus locus eorum clamore. Et sic completum est matrimonium illud illegitimum, fons rerum lacrimabilium. Erat autem Alexandro soror, puella

virgo eximia Mamistra nomine, quae continuo vaticinabatur. Dum autem omnes gaudio, laetiae et hilaritati indulgebant, ipsa tristis erat, clamabat et dicebat: Vae Ilio civitati, et regno Priami! quia venit perditio eius propter hoc gaudium 5 lugendum. Evertetur domus eius, delebitur memoria eius; vastanda est arx eius et periturus populus eius et locus eius! Cum autem Menelaus, Helenae maritus, reversus e persecutione latronum, videret domum suam eversam et uxorem suam raptam vertigine correptus est; clamavit et rugiit sicut leo, et 10 sonuit vox eius per totam Graeciam. Et audierunt pater *uxoris* eius, et maritus * sororis Agamemnon; et congregati sunt reges * p. 70. et frenderunt dentibus propter magnam iniuriam ipsis factam. Et ira accensi sunt, et notam fecerunt omnibus regibus et principibus totius Graeciae arrogantiam magnam Alexandri, et 15 contemptum dedecusque quod inflixit imperio potenti Graecorum gloriosorum et superborum; ut, secundum sua promissa et iuramenta, tempore desponsationis eius facta, convenirent omnes, et praelium inirent vindictamque a domo Priami regis Ili sumerent. Hisce auditis, reges Graecorum valde irati sunt 20 et rugierunt tanquam leones. Et convenerunt seque disposuerunt omnes reges cum viris famosis, bellicosis et strenuissimis. Et paratus est innumerus populus necnon multitudo navium, curruum, instrumentorum et rerum omnium bello utilium, armorum, mularum lignearum, munimentorum et testudinum. 25 Et miserunt in omnes regiones circumvicinas ut ipsis adessent et ipsis mitterent undique victum et necessaria. Cum autem omnia parata essent, secundum eorum beneplacitum, pacta constituerunt et promissa cum iuramentis gravibus: se nunquam reversuros aut ab invicem discessuros; neque a pugna 30 ad mortem usque cessaturos, sed vindictam sumpturos ab eo qui imperium eorum dedecoravit. Et instituerunt ducem omnium Agamemnonem, fratrem Menelai mariti Helenae, quia erat vir sapiens et strenuus. Et profecti sunt omnes reges, et omnes copiae eorum conscenderunt naves, et extensis malis 35 navium, coeperunt mari progredi; et tremuit terra et mare ab illis, et fuit in stupore omnis creatura ob pugnam eorum: quod propter mulierem, hae exercituum commotiones, * contumeliae * p. 71. imperiorum et pugnae virorum *numero* CCL milia, accidunt. Et

cum pervenissent ad quandam insulam maris in qua erat arbor magna, et prope istam oratorium templi deorum paganorum, ibi oraverunt et petierunt augurium *ut scirent* quid accideret. Et cum accensissent ibi ignem, pro more eorum orationum et suffimentorum, ecce subito draco magnus ex imo 5 rogo exivit, repsit et adscendit in hanc arborem, cuius in vertice erat nidus avis, qui novem pullos continebat; et cum pervenisset ad eos, draco omnes unum post alterum devoravit, et denique ipsam eorum matrem devoravit. Cum autem haec gererentur in oculis regum potentium, adduxerunt hariolos 10 peritos ex vatibus suis ut darent ipsis oraculum. Hi vero ad eos dixerunt: Sicut vidistis oculis vestris id quod factum est, ita vos pugnaturi estis adversus Ilium civitatem novem annis, et fine decimi *anni* tradetur in manus vestras et eam destruetis. Et cum audissent reges *tantum* spatium annorum, valde 15 irati sunt. Attamen quia in fine civitas tradenda erat in manus eorum, et propter iuramenta et pacta inter eos *sancita*, impossibile erat ut a certamine desisterent. Et cum pervenissent prope locum et appulissent navigia et naves, subito apparuerunt ante Ilium civitatem Priami. Et commotum est cor civium: et 20 valde timuerunt. Verum quid consilii capiendum erat, nisi surgendi viriliter et pugnandi fortiter? Et optime se parabant; et miserunt in omnes partes proximis et notis suis, ut ipsis in auxilium venirent. Reges autem Graecorum e navibus exierunt et ad urbem castrametati sunt ex parte planitiei; in parte 25 altera erant montes castris *ponendis* difficiles: non potuerunt ibi sedere, neque * ingredi per accessus civitatis e parte montium. (* p. 72) Et se ordinarunt ad certandum mari et arida. Eorum aliquos pugnis continuis et quotidianis praeposuerunt, alios ministerio mularum lignearum adversus muros, alios circumvallationi- 30 bus, alios cuniculis, unumquemque secundum ordinem sibi congruentem; alios praeposuerunt vigiliis ad ingressum maris; alii cum exercitu numeroso missi sunt in universam regionem ut grassarentur, popularentur, depraedarentur et vastarent, usque in Galatiam, Bithyniam et Ciliciam. Et sic instituerunt 35 bellum quod virtutem superat, cum continuo pugnarent et impugnarentur. Inter eos illustris erat Achilleus rex, filius Pelei, vir mirabilis et virtute potens supra omnem sermonem. Vene-

runt autem in auxilium civium Ili reges plures, et etiam regina magna Amazonarum multaeque mulieres ex eius militia assuetae bellis strenuis; pulcra erat adspectu regina, et robusta in pugnis valdeque animosa, elationem, arrogantiam et superbiam ostendans adversus copias Graecorum, quos etiam spernebat. Haec autem cum venisset in auxilium civium Ili, magnam partem exercituum Graecorum destruxit. Cum Achillem fortissimum advenientem vidisset et agnovisset, statim increpavit eum, et audacter petiit eum et clamavit: Ubi evanuit vita tua, o fili Pelei! Et proiciens lanceam in eum transfodit tres tunicas, thoracem et loricam quibus induebatur; verumtamen nihil nocuit ei. Ipse autem astute agebat, exspectans donec debilitaretur et defatigaretur regina. Tum insiluit in eam cum hasta magna et fortissima quam tenebat et percussit eam ad imum thoracem quo induta erat et pupugit eam cuspide ad ventrem. Et statim corruit et mortua est. Et confractae sunt copiae eius et factae sunt in caedem * et in praedam. Et fuit dolor magnus civibus Ili. Post dies pervenit rursum in auxilium civitatis Memnon, rex magnus Aethiopum, cum magna parte sui exercitus et atris Austri, id est nigris. Is rex Memnon pugnam validam et certamen singulare instituit cum Achille strenuissimo. Pugnaverunt autem ab aurora usque ad horam nonam. Et erat spectaculum valde mirabile. Stabant exercitus et omnes partes in contemplatione terribili huius pugnae acerrimae. Sed in fine rex Aethiopum ipse defecit et ab Achille victus est; occisus est et mortuus est; et cecidit tremor in eius milites: multi eorum occisi sunt, reliqui vero fugerunt. Post tempus telo acuto ex urbe *emisso* ab Alexandro Paride, percussus est Achilleus in nervo tali; et statim mortuus est. Et fuit magnus dolor Graecis. Erat autem etiam inter Graecos Philoctetes[1] vir potens et famosus. Is, sagitta strenue emissa, percussit in oculo dextero Alexandrum Paridem: qui statim corruit et mortuus est. Periit etiam in hac pugna acerrima Hector, vir potens, frater Alexandri, et duo fratres eius minores. Et postquam mortuus est Alexander Paris fuit contentio inter duos fratres eius superstites propter Helenam.

* p. 73.

[1] Sic interpretamur corruptam lectionem textus: Danāoqlīṭīṭōs.

Pater eorum eam uxorem seniori dedit; hac de re iratus est frater alter et transiit ad Graecos qui eum cum gaudio exceperunt. Et coepit edocere eos res civitati damnosas, et aperuit eis portas malas, et *id* notum fecit eis: Quamdiu statua Athenae stabit in medio urbis non poteritis eam expugnare. Hi autem 5 consilium ceperunt et miserunt duos viros strenuos et astutos, qui ingressi urbem raperent statuam Athenae. Iverunt viri is-
* p. 74. ti * furtim et ingressi sunt urbem et rapuerunt statuam hanc, et eam e basi deiectam in castra adduxerunt. Et interea iam elapsi erant anni novem et inceperat decimus. Et debilitati 10 erant e protracto bello; multosque eorum poenitebat, seque culpabant quod propter mulierem steterunt in hac pugna quae ipsis damna multa causavit, et multi viri fortes occisi sunt in hoc bello diuturno. Tunc consilio capto, invenerunt stratagema quoddam mirandum: quo bellum finem acciperet. Studuerunt 15 fabricare imaginem quamdam ligneam in qua, tanquam in equo, insidias struerent et dolose urbem expugnare possent. Sedulo laboraverunt artifices periti artis lignariae, et alii solertes et docti in artificiis componendis; collegerunt et adduxerunt quantitatem lignorum cuiusque generis, secuerunt as- 20 seres, et fabricaverunt equum quemdam amplissimum, muro urbis altiorem; formaverunt eum arte magna, eumque disposuerunt et ornaverunt pictis coloribus, ita ut ne rima quidem inter asserem et eius vicinum videretur aut appareret; et fecerunt caput animalis seu equi valde elatum, nam et ipse *equus* val- 25 de magnus erat; medium autem tam spatiosum constituerunt ut in eo multi viri intrare possint et latere; in capite eius alii sedebant et audiebant quae exterius dicebantur; et ei fecerunt oculos grandes et in eis disposuerunt vitrum, ut qui intra essent viderent quae agebantur: qui vero extra, *istos* non vide- 30 rent; et fecerunt ei nares amplas et profundas, et os, quibus aperturis halitus eorum emitteretur et aer ingrederetur ne suffocarentur. Ita ergo constituerunt hanc bestiam et super pectus eius scripserunt litteris aureis conspicuis, sic: Hic equus oblatio acceptabilis, quae offertur templo magno et non 35
* p. 75. * contemnendo Athenae deae, in civitate Ilio, pro imagine eius gloriosa quam rapuerunt Graeci, unde eis irita est: ut per hanc oblationem eximiam leniatur eius voluntas, et placetur, et

condonet eis facinus quod commiserunt. Et absoluto integro opere, parati sunt viri strenui cum gladiis et scutis et ingressi sunt equum, et intrinsecus concluserunt ingressum, qui exterius minime dignoscebatur. Et nocte amota sunt omnia castra
5 Graecorum et recesserunt a planitie, et ignem iniecerunt domibus et tabernaculis ubi fuerant castra; et conscenderunt naves suas et, mari progressi, paullulum discesserunt in locum maris absconditum, quo ex urbe non viderentur. Et pactum fecerant cum eis qui erant in equo, ut hi, data opportunitate
10 et completo stratagemate, signum aliis facerent per ignem, quem videntes e navibus venirent ad eos. Quidam eorum annuit corpus suum lacerare; eum vestibus spoliaverunt, eius manus et pedes ligaverunt, comam et barbam raserunt, et quasi multis plagis vapulatum proiecerunt eum in loco castrorum.
15 Et edocuerunt eum quid respondeat civibus Ili cum invenirent eum et de amotione et recessu Graecorum et de illo equo interrogarent. Et cum, illuscescente die, viderent cives Ili Graecos profectos esse, et ignem domos castrorum consumentem, et naves iam remotas per mare gradientes, magnopere gravisi
20 sunt, et congregati sunt, et e civitate exierunt praedatum et raptum quidquid ibi relictum fuit antequam ignis consumpserit illud. Et cum viderent hanc bestiam magnam, quae stabat in speciem equi, circumsteterunt omnes et inspexerunt eam et mirati sunt. Et ecce alii invenerunt eum qui ligatus et plaga-
25 tus iacebat. Et eum adduxerunt illuc et interrogaverunt eum, quaerentes ab eo quid sit illud miraculum et illa mutatio ut tam subito profecti sint Graeci, et quae sit ratio huius animalis ingentis * in speciem equi fabricati, et quid sit negotium ipsius *viri,* cuius corpus ita vulneratum, contusum et laceratum
30 est, manibus pedibusque ligatis? Is autem astuto dolo quem edoctus fuerat et iussus a suis sociis, respondit: Rumores horrendi et terribiles ad eos ex insulis pervenerunt, et profecti sunt celeriter, ut quisque peteret locum suum. Et hic equus ab eis fabricatus est ut sit oblatio magno templo Athenae pro imagine
35 quam rapuerunt e vestra urbe; ex quo enim ingressa est eorum castra, ira vehemens in eos invaluit. Et fecerunt illum tantae molis et ponderis, ne possetis eum introducere integrum, sicuti est, sed cogeremini dissolvere eum, aut aliquod membrum

* p. 76.

eius confringere, et maculam in oblatione Athenae causare, ut irascatur vobis et destruat civitatem vestram. Et ego, quia vituperavi eos et dixi: Quid profuerunt nobis, cum iam impugnationi Ili incubuimus decem annis, et detrimentum nostrum et perditio copiarum nostrarum? Debilitatae sunt regiones nostrae, et passi sumus damna magna et ingentia, et facti sumus in opprobrium et in spectaculum mundo, quia propter mulierem commoti sunt reges regionis Graecorum; et devenimus in proverbium et contemptum. Iam cum factum sit id quod factum est, et vastaverimus multa loca civium Ili, et pugna trucidaverimus milia et myriades ex illis et ipsi ex nobis, non decet ut ita recedamus et relinquamus obstaculum inter nos et illos, inter filios nostros et filios eorum, et non sit in medio nisi summa devastatio et multae caedes; sed componamus cum eis pacem, restituamus eis captivos adhuc superstites et praedam, et reliquam sarcinam nostram; non autem immittamus ignem castris ut quod superest maneat et sit in consolationem obsessis civibus pauperibus. * Et cum haec et similia suaderem eis, mihi obstitit insanus Menelaus et, ipso iubente, me graviter percusserunt, et ligaverunt manus meas et pedes meos meque *quasi* mortuum proiecerunt; et ipsi profecti sunt in ruinam et rapuerunt quidquid possidebam. Isti autem mente capti crediderunt quidquid dixit eis, et verisimilis erat sermo ut crederetur; et hunc hominem astutum dilexerunt eumque donis et vestimentis honoraverunt. Et festinanter circumsteterunt illud animal; et adduxerunt funes solidos et rotas, complanaverunt terram ante illud et straverunt viam pontibus et asseribus quos liniverunt desuper adipe et oleo, ut facilius laberetur illud animal et procederet super eos. Et ita milia et myriades *hominum* circumsteterunt illud et trahebant ut illud introducerent in civitatem, caventes ne quidquam in eo confringerent: quod verum impossibile erat, quia solide constructum fuit et firmum. Et cum pervenissent ad murum, fecerunt in eo ruinam magnam et latissimam, et introduxerunt animal illud et constituerunt in loco elato ante templum Athenae; et immolarunt boves et agnos multos: et manducarunt, et biberunt et gavisi sunt valde coram illo animali, adeo ut inebriati sint omnes et deficerent, et corruerent velut mortui; et dormierunt omnes

* p. 77.

simul et expansi erant sicut cadavera, super tecta et in vicis et plateis civitatis. Et facto silentio, cum regnaret in omnes altus somnus, media nocte venit ille vulneratus qui relictus fuerat a Graecis, et pulsavit ad eos qui erant in equo. Et aperuerunt portam eius introitus, et exierunt sicut apes, strictis gladiis in eorum manibus; et accenserunt ignem, ut viderent qui in navibus erant. Et currebant, quasi leones in grege ovium et quasi ursi perniciosi in vinea, in eos qui iacebant et dormiebant; et iugulabant et trucidabant sine misericordia. Et paullo post advenerunt eos qui erant in navibus, * et ingressi sunt urbem per ruinam et undique. Et iratus est Dominus Ilio et eius incolis, et eam tradidit in vastationem, in praedam, in captivitatem et in perditionem, manibus regum Graecorum et eorum exercituum. Et quis possit scribere magnam calamitatem, et caedem, et sanguinis effusionem fluentis quasi fluminis, et magnam depraedationem quae ibi fuerunt. Et sic accidit expugnatio et devastatio Ili civitatis famosae et commemoratae in plerisque libris chronographorum. Et postquam vastatione et caede satiati sunt, captivos fecerunt maximam populi partem, mulieres, puellas et pueros sine numero. Et praedati sunt divitias et bona urbis opulentae; et domos ducum et palatium regis Priami senis infausti et afflicti perscrutantes, quidquid in eis inventum est depraedati sunt et rapuerunt. Ipsum regem Priamum lancea perforarunt et occiderunt et filium eius qui in urbe remanserat necarunt. Invenerunt etiam Helenam, causam perditionis, quae aufugerat et consedebat in templo magno Athenae; et sumpserunt eam eique condonationem fecerunt, et eam marito eius Menelao tradiderunt, qui cum ea reconciliatus est. Ignem iniecerunt toti urbi et eam incenderunt, et everterunt eam et eam collem desertum fecerunt. Et reversi sunt in regionem suam in magno gaudio, quisque in locum suum cum captivis et multa praeda et triumpho illustri. Et sic accidit devastatio huius civitatis tempore Iudicum filiorum Israelis, ut supra diximus.

Post Hesbonem iudicavit populum Abisan annos octo. — Hoc tempore mortuus est Zeus, et sepultus est in Creta. Vixit autem septingentos et octoginta annos, ut de ipso scribunt Graeci propter longam eius vitam.

* p. 78.

Hoc tempore fuit Ruth Moabitis.

Historia Ruth [1]. — Accidit diebus Iudicum ut sit fames in
* p. 79. terra. Et ivit vir e Bethlehem Iudae * ut habitaret in regione
Moab, ipse et uxor eius et filii eius: quia aggravata est fames
in terra. Et nomen viri Elimelech, et nomen uxoris eius Noemi, 5
et nomina filiorem eius Malion, et Chelion, Ephrataei de Bethlehem Iudae, et venerunt in terram Moab ad habitandum ibi.
Et mortuus est Elimelech, maritus Noemi, et remansit ipsa
cum duobus filiis, qui acceperunt uxores Moabitidas: nomen
unius Orpha, et nomen alterius Ruth. Manseruntque ibi circiter decem annos. Et mortui sunt ambo filii eius Malion et 10
Chelion; et orbata est mulier marito suo et duobus filiis suis.
Et reversa est ipsa cum utraque nuru e regione Moabitide;
quia audierant in regione Moabitide, quod visitavit Dominus
populum suum ad dandas eis escas. Et egressae sunt e terra 15
incolatus sui, ipsa et utraque nurus eius cum ea, ut proficiscerentur in terram Iudae. Et dixit Noemi nuribus suis: Revertimini in locum vestrum et in domum familiae vestrae; et
Dominus faciat vobiscum misericordiam, sicut fecistis mecum
et cum duobus filiis meis qui mortui sunt. Det vobis misericordiam et inveniatis requiem in domibus patrum vestrorum. Et 20
osculata est eas. Quae, elevata voce, fleverunt, dicentes ei:
Non; sed tecum ibimus in terram tuam et ad populum tuum.
Et dixit eis Noemi: Revertimini, filiae meae. Ad quid venitis
mecum? Numquid erunt mihi filii quibus vos darem? Revertimini, filiae meae, quia ego senui nimis ut gignerem filios: et 25
vos exspectando eos donec crescant inaptae essetis esse viris;
quia valde premor propter vos amara sum plusquam vos:
quia manus Domini egressa est contra me. Elevata igitur voce
sua rursum fleverunt; et osculata est Orpha socrum suam, et 30
reversa est. Ruth autem adhaesit socrui. Et dixit ei socrus:
Ecce reversa est cognata tua ad populum suum et ad domum
familiae suae: vade etiam tu post cognatam tuam. Et dixit
* p. 80. ei Ruth: Absit a me * ut revertar et derelinquam te. Quocumque loco iveris ibo, quo habitaveris habitabo tecum [2]; et 35

[1] Fere ad verbum exscripta est e textu biblico. — [2] Hic lapsu, ut videtur, omissa sunt voces biblicae: « populus tuus, populus meus ».

Deus tuus Deus meus; quo mortua fueris moriar et ego, et sepeliar. Haec mihi faciat Dominus, et haec mihi addat, si non sola mors separaverit me a te. Cum ergo videret Noemi, quod Ruth vere statuisset ire cum ea, cessavit hortari eam ut reverteretur. Et venerunt ambae usque Bethleem Iudae. Et cum ingressae essent Bethleem, tota civitas de eis gavisa est. Et dicebant: Haec est Noemi! Et dixit eis: Nolite vocare me Noemi, sed vocate me Amara; quia Omnipotens[1] amaritudine me valde replevit. Plena enim hinc profecta sum, et Dominus vacuam reduxit me. Ad quid ergo vocatis me Noemi: si quidem Dominus humiliavit me, et quod accidit per manus eius me afflixit.

Reversa est Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, quae gratum habuit revertere cum illa, corde sincero. Et venerunt e regione Moabitide initio messis hordeorum. Habebat autem Noemi virum familiarem e cognatione Elimelech mariti sui, virum notum cui nomen Booz. Et dixit Ruth Moabitis ad Noemi socrum suam: Ibo in agrum, et spicas colligam post operarios *heri* cuius in oculis invenero gratiam. Et dixit ei socrus eius: Vade, filia mea. Et ivit Ruth ad colligendas spicas post messores. Et accidit ut adesset in medio agro Booz cognati Elimelech. Et ecce venit Booz de Bethleem et dixit messoribus: Pax vobiscum! Et dixerunt ei: Dominus benedicat tibi! Et dixit Booz puero qui messoribus praeerat: Quae est haec puella? Et respondit puer et dixit ei: Est mulier Moabitis quae venit cum Noemi e regione Moabitide; et dicit: Colligam spicas post operarios. Et collegit a mane usque ad otium. Et dixit Booz * ad Ruth: Filia, nonne audivisti proverbium: ne colligas in agro alieno. Idcirco mane, et permane hic cum puellis meis. Videas ubi messuerint, et sequere eos. Ecce mandavi pueris, ne quis tibi molestus sit. Et si sitieris, vade et bibe e vasculis quae implent pueri. Et cecidt in faciam suam ad terram, et adoravit eum eique dixit: Quare inveni gratiam in oculis tuis, ut discerneres me mulierem peregrinam? Dixit ei Booz: Sedulo narrata sum mihi quae fecisti cum socru tua, postquam mortuus est vir tuus, quia reliquisti patrem tuum et matrem tuam,

* p. 81.

[1] El šaddai; vox hebr.

et cognationem tuam et venisti in populum quem non noveras heri et nudius. Retribuat tibi Dominus Deus Israel, et det tibi mercedem ille cuius sub alas protectionem quaerere venisti. Et respondit ei: Quia inveni gratiam in oculis tuis, Domine, et consolatus es me, et locutus es ad cor ancillae tuae: 5 et ego ero sicut una de tuis ancillis. Et ait ei Booz tempore prandii: Accede et comede nobiscum panem. Et eam consedere fecit ad latus messorum. Et dedit ei polentam et intinxit panem in lacte et immisit micas perfricatas, et dedit ei. Et comedit et saturata est et superfluum habuit. Et surrexit 10 ad colligendas spicas. Et praecepit Booz servis suis et ait: Colligat inter manipulos, et ne prohibeatis eam. Relinquite spicas e manipulis, et ne corripiatis eam. Et collegit spicas in agro usque ad vesperam: et excussit eas et invenit in eis plenam mensuram hordei. Et tulit eas et ingressa est civi- 15 tatem; et ostendit socrui suae collectionem quam collegit, et dedit de reliquiis cibi quem comederat. Et dixit ei socrus eius: Ubi collegisti hodie et locus quo fuisti sit benedictus, et ille cuius in oculis gratiam invenisti! Et narravit socrui suae quo fuerat, et dixit ei: Booz nomen est viri cuius 20 in agro hodie collegi. Et dixit *Noemi nurui suae: Benedictus Dominus qui non amovit gratiam suam a vivis et a mortuis. Et dixit ei Noemi: Propinquus noster est vir, et e vindicibus nostris. Ait Ruth ad socrum suam: Dixit mihi, Iungere servis meis donec absolvatur integra messis. Et dixit 25 Noemi ad Ruth nurum suam: Melius est, filia mea, iungere te puellis eius, ne quis molestaret te in agro quem non cognovisti; sed iungere ancillis Booz ad colligendas spicas donec absolvatur messis hordei et tritici.

* p. 82.

Et consedit Ruth cum socru sua; et ei dixit Noemi: Filia 30 mea: quaeram tibi requiem, et *providebo* ut bene tibi sit. Ecce Booz propinquus noster est, ille cuius puellis iuncta es. Et ecce hac nocte aream hordei ventilat. Lavare igitur, ungere, et induere vestimentis tuis ornatioribus, et descende ad aream; ne te videat donec manducaverit et biberit, et in eo sit ut dor- 35 miret. Et animadverte locum in quo dormiat, et accedes et dormies ad pedes eius. Et ipse dicet tibi quid facias. Et dixit ei: Quidquid dixeris mihi, faciam. Et descendit in aream, et

fecit quidquid praecepit ei socrus eius. Et postquam manducavit Booz et bibit et laetatum est cor eius, venit et dormivit ad latus areae. Et in iucunditate somni, cum dormiret in area, *Ruth* venit secreto, et discooperuit angulum pallii eius et cecidit ad pedes eius. Et media nocte excitatus vir e somno suo, expavit videns mulierem dormientem ad pedes suos. Et dixit ei: Quis es tu? Dixit ei: Ego sum Ruth, ancilla tua; sed tege servam tuam angulo pallii tui, quia tu es propinquus[1]. Dixit ei Booz: Benedicta tu a Deo, filia mea; quia misericordiam tuam posteriorem priore meliorem fecisti, quia non ivisti ad iuvenes divites aut pauperes. Nunc filia mea, noli timere; quia quidquid dixeris mihi hoc tibi faciam. Scit enim omnis tribus populi nostri te mulierem esse * virtutis. Et nunc revera propinquus sum. Attamen est alius me propinquior. Nunc exspecta hodie, et sede usque ad auroram; et facto mane, si te iure propinquitatis petierit, bona erit petitio; si autem noluerit te petere: vivit Dominus, si ille te non petierit, ego petam te. Et dixit ei: Dormi usque ad auroram. Et dormivit ad pedes eius usque ad auroram; et surrexit summo mane, antequam vir cognosceret socium suum. Et dixit ei *Ruth:* Nemo sciat me descendisse ad te in aream. Dixit ei Booz: Expande pallium tuum. Et expandit. Et mensus est proiecitque in eo sex mensuras hordei; et imposuit ei. Et tulit et venit in civitatem. Et ingressa est ad socrum suam. Dicit ei socrus: Quae tu, filia mea? Dicit ei: Ego sum Ruth. Et narravit ei quidquid fecit ipsi Booz, et quod dedit ei sex mensuras hordei dicens: Ne redeas vacua ad socrum tuam. Dixit ei socrus eius: Expecta, filia mea, donec videas; non enim quiescet vir donec accedat ad iudicem hodie.

Et adscendit Booz et sedit ad portam civitatis. Et ecce propinquus transiit, de quo locutus est Booz, et dixit ei: Veni, hic sede. Ille autem ait: Quid? Et sedit apud eum. Et elegit decem viros e senioribus civitatis, et eos consedere fecit apud se. Et dixit propinquo: Partem agri fratris nostri Elimelech vendidit mihi Noemi. Et ego statui manifestare et notum tibi facere et dicere tibi: Acquire tu, coram illis qui hic sedent. Et ego manifestavi consilium meum dicendi et acquirendi co-

* p. 83.

[1] Ad litt.: « vindex haereditatis ».

ram his senioribus populi mei qui *hic* sedent. Et nunc si jure propinquitatis uti velis, utere; si autem nolueris, dic mihi, et confitearis quod non sis iure emptor, et ego iure emam. Et ille dixit: Emptor sum. Et ait Booz: In die quo emeris agrum e Noemi, etiam Ruth Moabitidem, uxorem eius qui de- 5
* p. 84. functus est accipies * ut suscites nomen mortui in haereditate eius. Et ait propinquus: Non possum iure uti, ne forte destruerem haereditatem meam. Tu utere, propter defectum fidei meae, quia non possum uti. Et id ius propinquitatis et transmutatio iuris ad suscitandum nomen apud filios Israel talis est: 10 solvit vir calceamentum suum et dat socio suo: et hoc est testimonium *cessionis* apud Israel. Et ait propinquus ad Booz: Acquire tibi. Et solvit calceamenta pedum suorum. Et dixit Booz senioribus et universo populo: Vos testes estis hodie, quod acquisivi quidquid erat Elimelech et quidquid erat Malion 15 et Chelion, e manu Noemi. Et te Ruth Moabitidem, uxorem Malion, sumpsi uxorem ad suscitandum nomen mortui in haereditate eius, ne deleatur nomen mortui, neve deleatur memoria defuncti inter fratres suos et familiam suam. Vos testes estis hodie! Et responderunt seniores et totus populus qui erat 20 in porta civitatis, dicentes: Testes sumus. Et benedixerunt ei, et ei dixerunt: Faciat Dominus uxorem hanc coram te sicut Rachelem et sicut Liam quae ambae aedificarunt domum Israel; et fecerunt virtutes in Ephrata et vocarunt nomen eius Bethleem. Et sit domus tua sicut domus Phares quem Tha- 25 mar peperit Iudae; et det tibi Dominus semen ex hac muliere. Et accepit Booz Ruth et facta est uxor eius. Et ingressus est ad eam, et concessit ei Dominus ut conciperet et pareret filium. Et dixerunt mulieres Noemi: Benedictus Dominus qui non permisit ut deficeret tibi suscitator hodie, ut vocares nomen 30 eius in Israel, et sit consolator animae tuae, et nutritor civitatis tuae; quia nurus tua, quae te dilexit, peperit eum, quae melior est oculis tuis quam septem filii. Et accepit Noemi puerum, et reposuit eum in sinu suo; et fuit ei nutrix. Et dixerunt vicinae eius: Natus est Noemi filius. Et vocarunt nomen eius 35
* p. 85. Obed. Is est pater * Isai, patris David. Et haec sunt generationes Phares: Phares genuit Hesron; Hesron genuit Aram; Aram genuit Aminadab; Aminadab genuit Nahasson; Nahas-

son genuit Sela [1]; Sela genuit Booz; Booz genuit Obed; Obed genuit Isai; Isai genuit David regem.

Heli sacerdos [2] iudicavit populum annos XL.

Ante Heli sacerdotes fuerunt in populo: Phinees; et post
5 eum Abisue; et post eum Bocci; et post eum Oziel; et post eum Zariha, et octavus Amarias, et post eum nonus Amarias alter, et post eum Heli, et post eum Achitob.

Hoc tempore Antus notus est, qui e terra matre sua accepiebat auxilium. Hic sapientior fuit omnibus athletis sui tem-
10 poris, ita ut putaretur esse filius terrae.

Samuel propheta iudicavit populum annos viginti.

Hoc tempore fuerunt terrae motus vehementes.

Ante mortem Heli, arca Domini in regionem Philistinorum in captivitatem abducta est, ob peccatum filiorum Heli. Et
15 mansit in domo Aminadab annos viginti.

Et post Achitob fuit sacerdos XII^{us} Achimelech.

Saul [3] iudicavit populum annos viginti.

Et anno 22° Saulis unctus est David, cum esset natus annos XII. Et cum esset natus annos XX occidit Goliath philistinum.
20 David fugit apud Achimelech timore Saulis, cum esset natus annos XXIV.

Hoc tempore occisus est Saul cum filiis suis in pugna.

David rex primus Iudaeorum iudicavit populum annos XXXX.

Fuerunt ab Adamo ad David regem * anni quattuor milia et * p. 86.
25 CXVIIII, secundum chronographos, secundum autem Hebraeos anni [duo milia et decem] [4], et a Moyse ad David anni CCCC et octoginta sex.

Et reliqua quae acciderunt Iudaeis ab Abrahamo ad Christum ecce plene scripta sunt in libris Veteris *testamenti.* Qui
30 vult *ea* clare scire, legat illos libros Veteris *testamenti*, et intelleget.

Hoc tempore vaticinati sunt David rex, et Gad, et Nathan, et Asaph prophetae.

Et post Achimelech stetit sacerdos XIII^{us} Abiathar.

[1] LXX: Σαλμών. — [2] In margine: Heli sacerdos arcam Domini in regionem Philistinorum descendere fecit. — [3] Sic; lege: Samuel. — [4] Recentiore manu suppl.

David regnavit Hebron annos septem, et postea unctus est altera vice ut regnaret in universum Israel. Et venit Ierusalem. Et regnavit Hierosolymis in universum Israel annos XXXIII.

Et pugnavit cum gentibus circumvicinis, et eas vicit; dives factus est, et valde illustris fuit.

Salomon filius eius regnavit annos XXXX.

Et anno 4° regni sui aedificavit templum Domino.

A Moyse et exitu filiorum Israel ex Aegypto ad aedificationem templi fuerunt anni CCCCLXXX; ab Abrahamo ad aedificationem templi, anni DCCCV; et inde ad captivitatem populi Babylone et templi vastationem anni quingenti.

Post Abiathar stetit sacerdos XIV^{us} Sadoc.

Anno 32° Salomonis, vaticinatus est Ahias silonites.

Salomon in senectute sua irritavit Dominum et sacrificavit diis gentium[1].

Rehoboam, filius eius, regnavit in universum Israel annos duo. Et post mortem Salomonis, patris eius, facta est seditio inter Iudaeos, et divisum est regnum eorum. Decem tribus fuerunt cum Ieroboam in Samaria, et duae tribus cum Rehoboam * in Ierusalem. Rehoboam autem voluit bellum gerere adversus Ieroboam; et prohibuit eum Dominus per Semeiam prophetam. [* p. 87.]

Et regnavit in Israel Ieroboam annos XXII. Et cum sacrificaret in Bethel, in altare quod fecerat, vaticinatus est Semeia super altare, et senex ille qui habitabat Bethel[2].

Abia, filius Rehoboam, regnavit annos tres[3]. — Abia postquam regnavit, congregavit virorum quattuor milia, ut gereret bellum adversus Ieroboam; re audita, Ieroboam ipse congregavit octoginta milia. Et invicem pugnaverunt; et confractus est Ieroboam eiusque exercitus coram Abia. Et ceciderunt ex Israel hac die quinque milia *virorum*[4].

[1] Nota marginalis: Salomon sumpsit uxores et concubinas mille, ut haberet ex illis multos filios, et non natus est ei nisi Rehobo'am, e Na'ama ammonita. Et quare non natus sit ei filius e reliquis... (*cetera desunt*). — [2] III *Reg.*, XIII, 11. — [3] In margine: Rehobo'am polluit Ierusalem, impudicitia et altaribus daemonum. Et anno 6 regni eius, adscendit rex Aegypti qui praedatus est thesauros ministerii templi Domini, et thesaurum regni Davidis et Salomonis. — [4] In margine: Abia et ipse corrupit Ierusalem fornicatione et impietate.

Hic, vaticinatus est Oseas. Is Oseas dedit signum quod venturus erat Dominus in terram, *nempe* si terebinthus quae erat in Silo sponte sua divideretur in duodecim partes et fieret duodecim terebinthi.

5 Asa, filius Abiae, regnavit Ierusalem XXXXVII *annos*[1].

Anno 3º Asae, regnavit in Israel Nadab, annos duos; et post eum regnavit Baasa, annos XXIIII.

Hoc tempore vaticinabatur 'Azōr, qui est Ioel.

Anno 10º Asae, egressus est Zaraḥ chusita secum habens 10 mille milia Chusitarum et Libyorum, et veniens occupavit Iudam. Et exiit Asa rex eosque persecutus est usque Gerara. Rex Asa reginam[2] matrem suam e regno expulit, quia erexerat statuam et festum *instituerat* Astaroth deae; et huius simulacra igne combussit, etiam meretrices destruxit.

15 Hic, vaticinati sunt Iehu et Hanan[3].

Post Sadoc, fuit sacerdos XV^us Achimelech.

* Iosaphat, filius Asae, regnavit Ierusalem annos XXV[4]. * p. 88.

Anno 2º Iosaphat, regnavit in Israel Achab filius Omri, annos XXII.

20 Hic vaticinati sunt Elias et Abdias, et Abiud, et Michaeas. Antequam nasceretur Elias propheta, pater eius Sobach vidit viros albis indutos qui eum salutabant, et dabant ei ignem comedendum. Et venit Ierusalem remque notam fecit. Et ei in visione dictum est: Tibi filius nascetur qui iudicabit Israel 25 igne et gladio, et erit in domicilio lucis, et sermo eius amputans et secans. Cum adolevisset fuit zelator cultus Dei, et propter iniquitatem et idololatriam domus Achab, rogavit Dominum et non descendit pluvia super terram tribus annis et mensibus sex. Et iugulavit falsos prophetas Sedeciam et Eliezer ceterosque.

30 Et anno 24º Iosaphat, regnavit in Israel Ochozias. Is autem misit ad Beelzebub, ut eum interrogaret: num a suo morbo sanaretur.

Ioram autem, frater Ochoziae[5], regnavit in Iudam annos VIII.

[1] In margine: [Evertit] aras et praecepta Domini servavit. — [2] Sic; e corruptione nominis proprii Maacha (II *Chr.*, XV, 16). — [3] Ananias. — [4] In margine: Iosaphat ambulavit in viis patris sui, et fecit quod erat pulcrum coram Domino. — [5] Sic; confusione facta cum Ioram rege Israelis.

Hic vaticinati sunt Elias et Elisaeus. Cum is Elisaeus nasceretur, fuit prodigium. Vitula aurea erat in Galgala, quae quo tempore natus est acute mugiit, et audita est vox eius Hierosolymis. Et per revelationem noverunt sacerdotes magnum prophetam natum esse in Israel; et cum crevisset eorum *simulacra* sculptilia et fusilia deiecit.

Et anno 7° Ioram, raptus est Elias in caelum.

Is Ioram graviter aegrotavit; nam eius interna et viscera exierunt.

Vaticinabantur autem Elisaeus et Amos. — Is Amos non erat propheta, sed pastor, e Thecua. Et avocavit eum Dominus a gregibus et dixit ei: Vade, vaticinare de populo meo * Israel. Et dimisit greges, et venit, et vaticinabatur. Amasias autem, filius Ioram, arcebat eum a prophetia; ipse vero non silebat a redargutione. Denique Amasias eum occidit, ictu baculi in tempus eius; et cum adhuc anima eius in eo subsisteret venit in regionem suam, et post dies mortuus et sepultus est.

* p. 89.

Ochozias annum unum regnavit in Iudam[1].

Et Iehu[2] occidit Ochoziam et Ioram reges; et regnavit in Israel annos XXVIII. Et occidit etiam septuaginta Achabi filios, et Iezabel.

Et Athalia, soror[3] Achabi, occidit filios regis Iudae et regnavit loco Ochoziae. Etiam ista polluit Ierusalem lascivia et altaribus. Et aperte scortabantur alii cum aliorum mulieribus. Et in libro Regum[4] scriptum est regnavisse Athaliam septem annos.

Hic, fuit Ioiadas sacerdos, qui vixit annos CXXX.

Hoc tempore, Isagoras philosophus notus erat.

Hoc tempore vaticinabatur Zacharias, filius Ioiadae. Is Zacharias propheta Iozedeco dixit filium ei nasciturum, Ierusalem sacerdotio functurum. Et nomen Zorobabeli ipse imposuit. Et quoad Cyrum signum victoriae dedit, et de huius officio praedixit quod Hierosolymis praestiturus erat et benedixit ei. Et cum venisset e regione Chaldaeorum, cum adhuc iuvenis esset,

[1] Nota marginalis: Ochozias fecit quod erat malum coram Domino. Et tradidit eum in manus inimicorum eius qui eum occiderunt. — [2] Ms.: « et ipse »; sed pro ܘܗܘ, leg. ܝܗܘ. — [3] Sic; (ex IV *Reg.*, VIII, 26); audi: filia. — [4] Cf. IV *Reg.*, XI.

vaticinatus est de cessatione prophetarum et sacerdotum, et de fine gentium, Israelis et templi; et de duplici poena statuit[1].

Et anno 30° Ioas, occisus est Zacharias propheta[2].

Et anno 36° eius, mortuus est Elisaeus; et ipse Ioas mortuus est.

Amasias regnavit annos xxix in Iudam. Is * Amasias fecit quod erat malum coram Domino. Et collegit exercitum et pugnavit cum Edōm et Seīr, et eos vicit; sumpsitque eorum deos, eos Ierusalem adduxit et eos coluit. * p. 90.

Et anno 18° Amasiae, regnavit in Israelem Ieroboam, annos xxxx.

Hic vaticinati sunt Oseas, et Amos, et Ionas, et Nahum. — Is Nahum propheta, post Ionam, dabat signum Ninive quod ex aquis dulcibus et igne peritura erat. Quod factum est. Lacus enim civitatem circumdabat et eam submersit in terrae motu, et ignis e deserto erupit, qui partem elatiorem urbis incendit.

Ozias regnavit in Iudam annos LII[3].

Hoc tempore, notus erat Azarias, sacerdos.

Hoc tempore, instituit bellum rex Assyriae cum rege Medorum Et cum devictus esset rex Assyriae seipsum proiecit in ignem, et combustus est. Et post eum surrexit rex alius, is qui egit paenitentiam diebus Ionae. Is autem Ionas filius erat viduae apud quam habitabat Elias propheta; et cum esset parvulus mortuus est, eumque resuscitavit Dominus precibus Eliae; et cum crevisset imperavit ei Deus ut iret Niniven et praedicaret ei eversionem. Sed ire noluit, et descendit ad mare ut a conspectu Dei fugeret. Et voluntate ipsius Dei, in navem quam conscenderat Ionas surrexit procella magna, et prope erat ut submergeretur. Et cum videret Ionas periculum ei imminens accessit ad nautas, suam culpam confessus est, et dixit: Propter mea peccata, vobis supervenit haec procella vehemens; apprehedite me et proicite in mare, et quiescet a vobis haec procella magna.

[1] Compendiose nimis et minus accurate dicta, e Pseudo-Epiphanio sumpta — [2] Nota marginalis; Is Zacharias per errorem hic inscriptus est. Is Zacharias cum captivis adscendit Babylone. Et vaticinabantur in Iudaea Aggaeus et is Zacharia, et Malachias, diebus Zorobabelis. — [3] In textu legendum ܢܒ (pro ܡܒ).

Nautae autem, vehementia tempestatis coacti, Ionam sumpserunt et in mare proiecerunt. Et quievit tempestas. Et eodem tempore disposuit Deus piscem magnum qui deglutivit Ionam. Mansit in ventre eius tres dies et tres noctes: et deciderunt coma
*p. 91. * et barba eius, et mansit glaber. Et figuravit typum crucis, 5 eo quod extensis manibus intra piscem oravit Ionas, et piscis postquam eum absorbuit ivit in septentrionem et meridiem, in occidentem et orientem; et ibi evomuit eum in littus maris ad latus regionis Ninive. Et Ionas reiectus ex ore piscis ivit Niniven. Ninive autem erat civitas magna; iter trium dierum circui- 10 tus eius. Et ingressus eam, coepit praedicare praedicationem quam ei dixerat Dominus. Et audierunt viri eius et paenitentiam egerunt, et conversi sunt a viis suis pravis. Res autem pervenit ad regem huius urbis, et induit saccum, dormivit in cinerem et decrevit ieiunium quadraginta dierum pro civitate. Et 15 ieiunarunt universus populus qui erat in civitate: viri et mulieres, maiores et minores. Et cum expleti essent quadraginta dies, exceptis tribus diebus, subito parietes domorum vacillaverunt et civitas commota est. Tum iussit rex tribus ultimis diebus dupliciter instare ieiunio homines et iumenta, et animalia et 20 parvulos ubera sugentes. Et mandatum a rege emissum excepit universus populus; ieiunarunt ipsi et eorum filii et eorum iumenta. Et Deus misericors vidit eorum paenitentiam, accepit eorum orationem exaudivitque eorum petitionem, et eorum misertus est, et avertit iram indignationis suae ab eis. Ionas autem 25 cum videret suum nuntium falsum fuisse, non mansit illic sed reversus est et in regione Tyri habitavit. Dicebat enim: Delebo opprobrium meum quod falsum de Ninive civitate vaticinatus sum. Et indignatus est de misericordia Dei. Et reliquum historiae eius, ecce scriptum est in eius prophetia. 30

Hic vaticinabantur Ionas et Oseus et Amos et Isaias prophetae.

Ozias autem fecit quod pulcrum erat coram Domino. Verumtamen ausus est ingredi sanctum sanctorum ut poneret aromata in templo Dei. Et prohibuit eum Azarias sacerdos; et quia 35 non obedivit et non recessit e templo, statim operuit lepra
*p. 92. * faciem eius. Isaias autem propheta, quia non redarguit eum, prophetia privatus est usque ad mortem Oziae.

Exinde Iotam, filius eius, iudicavit populum Iudaeorum. Is fecit quod erat pulcrum coram Domino, et in viis eius ambulavit.

A Moyse et exitu Israelitarum ex Aegypto hucusque sunt
5 anni octingenti sexaginta et tres.

Et anno 10° Oziae, regnavit in Israelem Phacee, annos viginti.

Ioatham regnavit in Iudam annos XVI.

Hoc tempore adscendit Teglatphalasar, rex Ninive; cap-
10 tivos fecit Israelem et descendit.

Hic vaticinabantur Oseus, et Isaias, et Michaeas morasthites. Is Michaeas multa fecit Achabo. Denique occisus est a Ioram, filio Achabi; nam proiecit eum e rupe, eo quod eum redargueret ob eius impietatem [1].

15 Achaz regnavit in Iudam, annos XVI. — Is Achaz fecit quod erat malum coram Domino, et sacrificavit diis gentium, et adoravit eos, et abnegavit Deum patrum suorum. Et bellum ei intulit Phacee, rex Israel; et trucidavit ex Iuda duodecim myriades hominum.

20 Et anno 11° Achaz, adscendit Salmanasar rex Assyriae, et decem tribus in captivitatem abduxit regnumque Israel destruxit, quod permanserat Samariae annos quadringentos et quinquaginta. Alii dicunt anno 6° Ezechiae hanc captivitatem accidisse. Post duodecim annos alios Salmanasar rex misit po-
25 pulum ingentem ex Assyria ad custodiendam Samariam, quae capta erat; quia ibi multiplicati sunt leones et destruebant populum qui illic habitabat. Et ibi habitarunt et appellatus est populus ille assyriorum Samaritani. Nomen autem Samaritani « custodes » in lingua hebraica interpretatur. Et iussit
30 eos Salmanasar imitari Iudaeos et leges eorum observare. Et misit eis e populo sacerdotem * nomine Ezra, qui doceret eos legem Moysis. * p. 93.

Hierosolymis autem fuit sacerdos, illo tempore, Amarias, et post eum Achitob, et post eum Sadoc, et post eum Sellum et
35 Helcias et Azarias alter.

Ezechias regnavit in Iudam annos XXVIIII.

[1] Sic; e Pseudo-Epiphanio.

Diebus Ezechiae vaticinabantur Isaias, et Oseus, et Michaeas. Hic Ezechias rex fecit quod pulcrum erat coram Domino. Ipse minutatim secuit serpentem aeneum quem fecit Moyses in deserto, quia eum adorabant filii Israel, et eiecit impietatem e Ierusalem. 5

Et anno 4° regni eius, rursum adscendit Salmanasar, rex Assyriae, et reliquos Israelitas qui supererant captivos fecit.

Et anno 20° Ezechiae, adscendit Sennacherib, rex Assyriae, in Ierusalem et in omnes civitates Iudaeae, et populatus est omnes pagos Ierusalem. Et misit nuntios et epistulas ad Eze- 10 chiam, et in eis probro affecit Deum quem colebant. Valde autem contristatus est Ezechias, et doluit et oppressus est. Et ingressus templum Domini expandit has epistulas coram arca Domini et multum ploravit, et petiit a Domino ut ipsum e manibus huius pagani liberaret. Et exaudivet Deus orationem 15 eius et eius petitionem accepit. Et descendit angelus Domini hac nocte, et vastavit castra Assyrii, qui reversus est in regionem suam pudore affectus. Et manibus filiorum suorum in Assyria occisus est; et Ierusalem oratione regis salvata est. Postea, aegrotavit rex morbo gravi, et prope erat ut morere- 20 tur, et dolebat quod non haberet filium. Et oravit dicens: Vae mihi! ecce morior sine filiis, et illa benedictio quae transmissa est per generationes xxxxvi iam in me abrumpitur, et sum destructor regni David. Et exaudivit Deus orationem eius, et convaluit, et filium habuit. Et vocavit eum Manassen; et is 25 sedit in trono David.

Manasses regnavit in Iudaeam annos xxv. Et fecit quod ma- *p. 94. lum est coram * Domino, plus quam omnes decessores eius. Et implevit Ierusalem iniquitate et lascivia. Et quia eum redarguebat Isaias, misit viros iniquos qui hunc secarent sera 30 lignea, a capite ad pedes. Erat autem Isaias, cum secarunt eum, natus centum annos. Annos nonaginta vaticinatus est. Et paenituit Manassen quod occiderat Isaiam; et sacco induit corpus suum, et ieiunium sibi imposuit et conversus est ab iniquitate sua[1]. 35

[1] Nota marginalis: Narratio de paenitentia Manassis in libro Paralipomenon scripta est.

Hoc tempore Romani addiderunt duos menses numero mensium eorum: kānūn posteriorem et šebāṭ; quia decem menses numerabantur in anno Romanorum.

Anno 36° Manasse, regnavit in Assyrios Sennacherib iunior, annos xxxi.

Hoc tempore noti sunt Achilleus et Simados[1].

Amon regnavit in Iudaeam annos xii. Is fecit quod malum est coram Domino, in omnibus viis suis.

Hoc tempore regnavit in Macedoniam Philippus alter, annos xxxviii.

Iosias regnavit in Iudaeam annos xxxi. Is fecit quod pulcrum est coram Domino. Et celebravit pascha in Ierusalem; non autem factum fuerat pascha alterum filiis Israel ab exitu ex Aegypto; nec fuit inter omnes reges Israel alter iustus sicut is.

Hoc tempore vaticinatus est Sophonias. Et Helcias summus sacerdos fuit. Is Sophonias erat e tribu Simeonis e pago Sabartha. Et vaticinatus est de civitate, de consummatione gentium et de confusione impiorum. Et mortuus est in pace; et in pago suo sepultus est.

Et anno 13° Iosiae, in prophetia coepit Ieremias, cum adhuc iunior esset.

Et anno 18° Iosiae, vaticinata est Hulde prophetissa.

Iosias zelator fuit cultus Dei et legis; abolevit idololatriam, et evertit aras, * occidit sacerdotes, eorum ossa combussit, et evertit templa idolorum et fecit templa idolorum latrinas. Denique bellum gessit adversus Pharaonem claudum[2] regem Aegypti, qui percussit Iosiam et occidit eum in civitate Mabbug[3]. Et captivus abductus est in Aegyptum filius eius Ioachaz, et etiam Ieremias propheta. * p. 95.

Hoc tempore, cum esset in Aegypto, Ieremias propheta lapidatus est a civibus suis, quia eos redarguebat. Cum esset Ieremias in Aegypto dedit signum sacerdotibus: *nempe* futuram esse virginem quae pareret filium, et die quo nasceretur omnia eorum idola quatienda esse et ruitura. Propterea usque

[1] Sic textus; lege: Archilochus et Simonides (Euseb. *Chron.*, ann. 1351). — [2] Nechao. — [3] Sic textus; lege: Mageddo (IV *Reg.*, XXIII, 29).

ad hanc diem colebant sacerdotes virginem puerperam et puerulum ponebant in praesepe et adorabant. Ptolomaeus rex interrogavit hac de re, et ei dictum fuit: Traditionem hanc acceperunt patres nostri a sancto propheta, et impletionem mysterii praestolamur. Is propheta Ieremias[1] antequam expugnaretur Ierusalem accepit arcam legis, cum eis quae in ea erant, et posuit eam in saxo, ubi fuerat primum, inter duos montes quibus depositi sunt Aharon et Moyses. Et saxum digito suo sigillavit nomine Dei. Nemo hunc locum cognovit, et nubes operuit illum usque hodie. Et dixit populo: Arca elevata est in caelo, et rursum virtute *Dei* veniet; et hoc erit vobis signum adventus eius, *nempe* quando omnes gentes lignum adorabunt. Dicunt autem hanc arcam neminem educturum nisi Aharonem sacerdotem; et tabulas quae in ea sunt neminem expansurum, neque sacerdotem neque prophetam, sed ipsum Moysen servum Dei; et in resurrectione hanc arcam primum surrecturam et prorupturam ex hoc saxo, et ad eam conventuros sanctos.

Ioacim, filius Iosiae, regnavit annos undecim.

* p. 96. Et anno 3° * regni eius, adscendit Nabuchodonosor, rex Babylonis, adversus Ierusalem. Et tradidit eam Dominus in manus eius, et rapuit vasa ministerii templi. Et imposuit tributum Ioacimo, qui ei tribus annis submissus fuit. Et abiit Nabuchodonosor, et in captivitatem descenderunt cum eo Babylonem Ananias, Azarias et Misael.

Hoc tempore vaticinati sunt Urias filius Semei, et Ieremias, et Baruc filius Oziae[2]. Et Uriam prophetam occidit Ioacim. rex Iudae.

Hoc tempore Saraia summus sacerdos notus erat; et post eum Iozedec qui in captivitatem abiit.

Iechonias regnavit tres menses. Et hisce tribus mensibus rursum adscendit Nabuchodonosor rex, et captivum fecit Iechoniam, et eius matrem, et eius uxorem quae Danielem utero gerebat; captivos fecit etiam magnates eius. Et regnavit Sedecias, patruus eius, pro eo. Et cepit Nabuchodonosor captivita-

[1] Vox redundat in textu syriaco. — [2] Sic; nomine ܢܪܝܐ Neria, in ܥܙܝܐ corrupto.

tem descenditque Babylonem. Dum in via procedunt peperit uxor Iechoniae Danielem prophetam. Et pervenerunt Babylonem, et crevit Daniel, et cum esset natus annos duodecim ius dedit Susannae contra Na'amai et Abbam, sacerdotes immundos, qui mentiti erant adversus Susannam. Et Deum rogavit Daniel, et e caelo descendit ignis qui Na'amai et Abbam, sacerdotes impuros, devoravit.

Hoc tempore, rex Nabuchodonosor Danielem eiusque socios urgebat ut idolo suo sacrificarent; sed nihil potuit; et postea, cum ab eis devictus esset, ipso iubente, miserunt pueros Ananiam, Azariam et Misaelem in fornacem ignis; sed Dominus rore caelesti ignem aspersit, et eis non nocuit. Daniel autem salvatus est hoc tempore usque ad tempus Darii Medi; et in magna seditione populi, qui insurrexit adversus Darium, iubente rege, proiectus est Daniel in foveam in qua erant septem leones, ut in libro eius prophetiae scriptum est. Et ipse salvus evasit ab his leonibus, et pueri socii eius ab igne *consummenti, virtute divina quae liberavit eos. * p. 97.

Hoc tempore erat Habacuc propheta in Iudaea, qui praescivit in Spiritu sancto expugnationem Ierusalem, et valde afflictus est. Et cum adscendisset Nabuchodonosor et cepisset Ierusalem, ipse fugit in pagum suum Beth Pāḥara[1]. Et tempore messis, ministrabit messoribus. Aliqua die coxit lentes, et volebat eas messoribus deferre; sed spiritu novit Deum in eo esse ut ipsum deduceret eo tempore Babylonem, quo iacebat Daniel, in fovea leonum. Et posuit pulmentum in catino et confregit in eo frustum panis. Et iussit domesticos suos: Si cunctatus fuero, deferte panem messoribus. Et accepto pulmento exiit. Et statim angelus Dei illum rapuit spiritu Hierosolymis, et mox deposuit eum Babylone, supra foveam in qua iacebat Daniel. Et clamavit voce Habacuc dixitque: Daniel, serve Dei, surge, accipe cibum quem tibi misit Deus cui servis. Et statim surrexit Daniel, et laudavit Deum, quia visitavit eum; et accepit cibum et comedit. Et Habacuc denuo sumpsit angelus et eum in regione Ierusalem apud mes-

[1] Cf. Ier., xviii, 2. In alia recensione: Beth Sōkar ܒܝܬ ܣܘܟܪ (apud Nestle).

sores deposuit. Et vidit messores comedentes, et nemini dixit quid factum fuerit. Et deinde vaticinatus est a populo orientali fore consummationem templi.

Sedecias regnavit annos XI.

Hoc tempore Ezechiel vaticinari coepit. 5

Is Sedecias est rex ultimus Israelitarum. Rursum nunquam surrexit eis rex alius.

Anno 11° Sedeciae, rursum adscendit Nabuchodonosor, rex Babylonis, et populatus est regiones occidentales; et occidit Hiram, regem Tyri, et igni Tyrum combussit; et ingressus est 10 Aegyptum post Israelitas qui coram eo aufugerant. Et vastavit Aegyptum, et necavit Pharaonem regem Aegypti; et captivos fecit Israelitas et vastavit insulas multas * maris; et cum e mari recederet obsedit Ierusalem. Et tradidit Dominus in manus eius Sedeciam regem Ierusalem; et occidit filios eius in 15 Diblat, ipso quidem eos adspiciente; et eruit oculos Sedeciae eumque Babylonem misit. Tanta in eum permisit Deus ob iniquitatem quam patravit in Ieremiam prophetam quem in foveam luti proiecit. Et captivos fecit rex Babylonis omnes Iudaeos, et templum incendit et muros Ierusalem evertit. 20 Permansit autem templum postquam a Salomone aedificatum est annos quadringentos quadraginta et unum [1].

* p. 98.

In hac captivitate Simeon erat summus sacerdos Hierosolymis. Familiaritatem habebat cum duce satellitum. Et hunc rogavit ut libros scripturarum sibi traderet; et dedit ei. Et 25 sumpsit Simeon sacerdos libros scripturarum, et thuribulum magnum aeneum, plenum igne et aromatibus, et descendit ea in puteo abscondere. Et manserunt in puteo annos septuaginta, donec ascenderunt Babylone filii Israel. Et vastata est Ierusalem et nemo in ea mansit, nisi Ieremias propheta, qui 30

[1] *Nota marginalis*: Historia Iudith. Cum misisset Nabuchodonosor exercitus suos, et terram Iudaeae subegisset, se ornavit Iudith, et egressa est ad ducem exercitus Nabuchodonosoris, cui dixit: Scio Deum civitatem in manus tuas traditurum; exivi et veni ad te ut salvarem animam meam, utque viderem quomodo capies illam. Dux autem exercitus mente captus est et gavisus est, eamque amavit ob pulcritudinem eius, et aliqua nocte, cum vellet dormire cum ea, comedit, bibit et inebriatus est; et media nocte ...... (*reliqua desunt*).

sedens extra civitatem flebat et recitabat lamentiones super eam, circiter viginti annis. Et postea mortuus est Ieremias propheta, et in Aegypto sepelivit eum Urias sacerdos. Post hanc captivitatem ivit Ieremias in Aegyptum, et ibi a civibus 5 suis lapidatus est.

Hucusque veritatem tenebant scriptores Hebraeorum; a destructione Ierusalem et deinceps non est verum in descriptione eorum, nisi quoad * patriarchas[1]. * p. 99.

Nabuchodonosor rex postquam captivum fecit populum Is- 10 rael et descendit Babylonem, insurrexit in Deum et in Danielem. Et iratus est ei Deus; et amisit *rex* mentem, et factus est taurus duobus annis et mensibus quattuor, et comedit herbam; et factus est leo annis duobus et mensibus quattuor, et comedit carnem; et factus est aquila duobus annis et quat- 15 tuor mensibus, et comedit volatilia. Et *sic* complevit septennium prout de eo vaticinatus erat Daniel. Et erexit faciem ad caelum et *rursum* factus est homo, et aperuit os suum et glorificavit Deum. Et reversus est in regnum suum, postquam in deserto septem annis fuit.

20 Fuerunt anni captivitatis Babylone septuaginta.

Hoc tempore vaticinati sunt Daniel propheta et Ezechiel, Babylone.

Ezechiel propheta Babylone dedit populo signum, *nempe* ut sedulo inspicerent flumen Chobar, quia ubi exundaverit 25 fore reditum in Ierusalem, ubi defecerit fore consummationem totius terrae. Is per orationem suam copiam piscium sponte occurrentium cibum dabat populo. Is cum Babylone esset populo quid ageretur Hierosolymis ostendebat. Et raptus spiritu, ivit Babylone Ierusalem ad redargutionem incre- 30 dulorum; et postquam reversus est Hierosolymis, occidit eum is qui institutus fuit princeps * populi, eo quod eum ob idololatriam redarguebat. Et sepeliverunt eum in sepulcro Semi et Arphaxadis[2]. * p. 100.

[1] Ex *Spel. Thesaur.*, ubi diserte ad genealogias spectat notitia. — [2] *Nota marginalis*: [De historia Esther] ...... ieiunavit, et oravit tribus noctibus, ut mutaret Deus mentem mariti sui. His autem diebus, legit in libro suo, et invenit scriptum quomodo Mardochaeus regem Nabuchodonosorem a

Hoc tempore etiam septem sapientes Graecorum noti erant; eorum nomina haec sunt: primus, Solon atheniensis, Thales milesius, Bias prienensis, et ceteri.

Anno 25° captivitatis, mortuus est Nabuchodonosor rex. Iechonias autem in carcere mansit Babylone, annos XXXVII. 5

Post mortem Nabuchodonosoris ei successit Evilmerodach filius eius; regnavit annos quinque et Iechoniam e carcere eduxit. Et locutus est cum eo pacifice; et posuit sedem eius elatiorem sedibus magnatum suorum, et comedit panem cum eo usque dum mortuus est. 10

Et surrexit post eum Balthassar, filius eius, qui regnavit tres annos.

Et post hunc, accepit regnum Darius medus, annum unum. Ceteri autem scriptores dicunt Darium regnavisse annos undecim. 15

Iechonias autem uxorem duxit Gulith, filiam Eliacim, et genuit ex ea, Babylone, Salathielem. Salathiel uxorem accepit Iatibath, filiam Helcanae, et genuit ex ea Zorobabelem; Zorobabel accepit uxorem Maldhath, filiam Ezrae scribae, sed non ei natus est ex ea filius Babylone. 20

Hoc tempore, id est anno 30° captivitatis, regnavit Cyrus, rex primus Persarum, annos XXX. Et venit adversus Babylonem, et cepit eam, et occidit Darium regem Medum; et potitus est totius Orientis et sedit Babylone. Regnavit Cyrus Babylone diebus Zorobabelis. Et uxorem duxit Cyrus Mesihath[1] 25 sororem Zorobabelis. Et eam regnare fecit secundum morem Persarum, et amavit eam sicut seipsum. Et petiit Mesihath a Cyro marito suo, ut remitteret filios Israel. Et dixit Cyrus Zorobabeli: Sume omnes cives tuos, et adscende Ierusalem; et aedifica civitatem patrum tuorum, et regna in ea. Et ab- 30

perditione salvavit; et mutavit Deus mentem eius, ne malum faceret Mardochaeo et Iudaeis. Et cum ingressus esset Aman ad regem, dixit ei rex: Ei qui nos a perditione salvavit quid facere debeo. Hic autem Aman insanus existimavit de ipso regem loqui. Et dixit Aman: Decet ut induatur purpura regia et sedeat super equum regis, et honoretur a vobis. Rex autem statim induit Mardochaeum veste sua .... et iussit Aman ligno affigi.

[1] *Spel. Thes.*: Mesainath.

duxit Zorobabel populum Israel Babylone; et fuerunt * circiter quinque myriades. Et adscendit Ierusalem. * p. 10

Sunt a Davide usque ad captivitatem Babylonis anni DL.

Et quia Cyrus reditum concessit filiis Israel, secundum 5 prophetiam de ipso, dixit Dominus per prophetam: Ego tenui manum Cyri, servi mei; quia iunctum est semen Davidis per Mesihath israelitam, sororem Zorobabelis, cum semine eius; et Christus Domini vocatus est [1].

Et Babylone adscenderunt filii Israel anno 2° Cyri. Et fuit 10 Zorobabel princeps eorum et Iesus filius Iozedec summus sacerdos. Et aedificarunt Ierusalem et posuerunt fundamenta templi.

Hoc tempore, vaticinabantur Ierusalem Habacuc, et Aggaeus, et Zacharias et Malachias. Et post hos nunquam ul- 15 terius surrexit propheta Iudaeis. Malachias a iuventute sua pulcram vitam agebat, et universus populus honorabat eum tanquam sanctum; et cognominaverunt eum Malachiam [2] ob opera eius; quidquid dixerit, ipso die apparebat angelus qui iterum recitabat verba eius, sicut ipse dixerat. Et mortuus 20 est adhuc iuvenis.

Hoc tempore Theognis poeta notus erat. Et paullo post fuit Pythagoras philosophus.

Anno 60° captivitatis, Megista regina [3] bello occidit Cyrum, regem Persarum; et regnavit post eum Cambyses, filius eius, 25 annos octo.

Et anno 65° captivitatis, Cambyses rex occupavit Aegyptum, et imperio Aegypti finem imposuit.

Et anno 68° captivitatis, mortuus est Cambyses rex, et post ipsum regnavit Darius alter, annos XXXVI. Et anno 2° eius 30 complentur septuaginta anni captivitatis. Testis est Zacharias propheta qui dixit: Usquequo, Domine potens, non misereberis Ierusalem? ecce septuaginta annis ei iratus es [4].

Completa est aedificatio templi annis quadraginta sex. Postquam aedificatum est templum, sacerdotes de libris investiga- 35 runt. Et descendit * Ezra scriba in illum puteum, et invenit * p. 102

[1] Cf. Is., XLV, 1. — [2] I. e. angelicus. — [3] Locus corruptus; intelleige: Massagetarum regina. — [4] Cf. ZACH., I, 12.

thuribulum igne plenum, et fumum qui adscendebat e puteo. Et invenit libros humore putei corruptos. Et sumpsit Ezra thuribulum et pulverem librorum qui perierant, et adscendit e puteo. Et iniecit in ore suo ex hoc pulvere tribus vicibus, et statim immisit in eum Deus spiritum prophetiae et innovavit omnes libros prophetarum et antiqui *testamenti*. Et accepit eos Iesus, filius Iozedec, summus sacerdos, qui cum illis Babylone adscenderat. Et dixit Zacharias propheta[1] Iesu sacerdoti: Hi sunt duo filii olei, scilicet Iesus filius Iozedec sacerdos. et Zorobabel princeps, qui stant coram Domino totius terrae. Et mortuus est Iesus sacerdos; et fuit post eum summus sacerdos Simeon, filius eius.

Hoc tempore noscebantur Pantagnus et Solon[2], fratres, philosophi.

Xerxes[3], filius Darii, regnavit annos viginti. — Anno 3° regni eius, explicit millenarium quintum.

Hoc tempore Diagoras, philosophus, et Socrates noti erant.

Hoc tempore absolutum est templum sanctum Ierusalem, post annos quadraginta et sex, sicut scriptum est in sancto evangelio. Tum celebrarunt filii Israel pascha Domino, sicut scriptum est in libro foederis Domini cum Moyse servo eius. Tria paschata celebrarunt filii Israel, toto tempore eorum: primum quando adscenderunt ex Aegypto, diebus Moysis prophetae, secundum diebus Iosiae regis iusti, et id tertium postquam adscenderunt e Babylone, ope Zorobabelis principis et Iesu sacerdotis. Et cessavit apud eos pascha in aeternum, et non ulterius illud celebrarunt.

* p. 103. Inde et deinceps perierunt genealogiae * e libris tum hebraeis tum graecis; et non potuerunt rursum ostendere undenam patriarchae sumerent uxores. Sanctus Mar Ephrem aperte ostendit Zorobabelem, postquam adscenderunt Babylone, genuisse Abiud e Malchath, filia Ezrae scribae.

Artaxerxes[4] Longimanus regnavit annos xxxxi. Nunc fuit in Ierusalem sacerdos Eliasib filius Ioiacim; et post eum Ioiada.

Hoc tempore notus est Hippocrates medicus.

Anno 32° Artaxerxis, absoluta est Ierusalem.

[1] Zach., iv, 14. — [2] Sic; lege: Pantagnostus et Sylus. — [3] Aḥšīroš. — [4] Artaḥšiša.

Accepit autem sacerdotium Ioiadae Iohannan filius eius.
Nunc, Abiud sibi uxorem sumpsit Zachiath, filiam Iesu filii Iozedec, et ex ea genuit Eliacim.

Hucusque expositionem educimus e libris prophetarum sanc-
5 torum; inde et deinceps exponemus e libris Macchabaeorum. Isti scripserunt res gestas usque ad tempus Romanorum.

Artaxerxes alter regnavit annos xxxx.

Hoc tempore, accidit res Esther, Mardochaei et Aman. Haec Esther fecit misericordiam cum Iudaeis et salvavit eos a per-
10 fidia Aman. Petierat enim Aman ab Artaxerxe, ut destrueret Iudaeos gladio. Et ieiunavit Esther tribus diebus et tribus noctibus, et oravit Dominum, et Iudaei salvati sunt.

Hoc tempore, Eliacim uxorem sumpsit Halphath, filiam Hasoris, et ex ea genuit Zadoc.

15 Hoc tempore inventus est a Graecis usus xxiiii litterarum; quia antea xviiii tantum utebantur.

Hoc tempore fuit terrae motus vehemens.

Hoc tempore Plato philosophus notus fuit.

Et Artaxerxes Ochus [regnavit] annos xxvii.

20 Hoc tempore, Aristoteles, natus annos xvii, audiebat Platonen.

Et anno 5° huius Artaxerxis, regnavit in * Macedoniam Philippus pater Alexandri magni, annos xvii. * p. 104.

Et anno 8° regni Philippi, natus est Alexander.

25 Hoc tempore, mortuus est Plato philosophus.

Hoc tempore, Alexander magnus ab Aristotele philosopho erudiebatur.

Hoc tempore, erat sacerdos Hierosolymis Iaddus[1] et Andromachus pontifex.

30 Hoc tempore, Zadoc uxorem sibi sumpsit ⌈Cahelath filiam Dōnīb[2] et ex ea genuit Achin.

Darius, filius Arsam, regnavit sex annos.

Et anno primo Darii regnavit in Macedoniam Alexander magnus.

35 Hoc tempore, Achin sumpsit uxorem ⌈Ḥasnōth[3] filiam Tauil, et genuit ex ea Eliud.

[1] *Eus. Chron.* ann. 1572. — [2] *Spel. Thes.*: Beltin fil. Dornim. — [3] *Ibid*,, Heskath.

Alexander, filius Philippi, rex graecus, regnavit annos XII et menses septem. Is regnavit in universam terram, et vastavit loca multa; tenuit etiam Iudaeos; et acciperunt eum, et adscendit Ierusalem Deoque sacrificavit; et Andromachum, Iudaeorum[1] sacrificulum honoravit.

Et anno 6° regni sui, pugnavit cum Dario rege Persarum et eum vicit atque occidit. Et cessavit regnum Persarum et Babyloniorum, quod tenuerat annis ducentis et triginta.

Et anno 7° regni sui, aedificavit Alexandriam magnam et eam de nomine suo appellavit. Vixit autem annos XXXII, et mortuus est Babylone, per venenum quod ei aliquis et magnatibus eius propinavit. Reliqua facinora eius, et loca quae expugnavit, et gentes varias quas vidit, ecce descripta sunt in libro peculiari historiae eius[2].

Sunt autem ab Adamo usque ad Alexandrum anni V milia et CLXX secundum chronographos; secundum autem Hebraeos, III milia et quingenti anni.

⌜Hinc incipit aera annorum Graecorum, id est Alexandri macedonii. Sunt qui dicant post quattuor annos eam *incipere*[3].

* p. 105. Hoc tempore, collegit * Aristoteles philosophus omnes species dispersas disciplinarum philosophicarum, et ex eis composuit quoddam corpus magnum, abundans eruditione et doctrina praestanti, quod distinguit verum a falso. Sine lectione libri rethoricae, quem fecit, impossibile est assequi scientiam librorum et sensum doctrinarum, nec vim librorum sacrorum, a quibus pendet spes christianorum, nisi quis, propter excellentiam operum suorum, gratiam acceperit a Spiritu santo sapientissimo[4].

Hoc tempore notus erat Simeon sacerdos, filius Oniae.

Hoc tempore Eliud sumpsit sibi uxorem Šabeštīn[5], filiam Hasōl, et ex ea genuit Eleazar.

Seleucus Nicator[6], unus e quattuor ministris Alexandri magni, post mortem Alexandri regnavit in Syriam, et plures

[1] Immo Samaritanorum. — [2] Opus a W. Budge editum: *The History of Alexander the Great*, being the syriac version of the Pseudo-Callisthenes. (Cambridge, 1889) — [3] In margine, prima manu. — [4] πάνσοφος. — [5] *Spel. Thes.:* Beštin, — [6] Sic, apud Syros.

aedificavit civitates. Primum in regione Syriae aedificavit Edessam.

De aedificatione Edessae. — His itaque temporibus devastationis Israelitarum, cum transirent Persae, adscendentes et descendentes, acciderunt calamitates et destructiones plurimae. Edessa etiam vastata et eversa est; perierunt incolae eius, et mansit deserta longo tempore; et non invenimus accurate quanto spatio temporis. Mansit autem orbata incolis usque ad tempora huius Seleuci regis sapientis, unius e quattuor ducibus exercituum Alexandri, qui regnavit post hunc. Is cum venisset et transiret per hanc urbem, vidit eam et ipsi valde placuit; et collegit artifices multos, et quidquid utile est ad urbem aedificandam et ad sustentendam vitam incolarum et habitantium, et coepit aedificare. Ordinavit et erexit murum fortem et solidum, valde altum, pulcrae constructionis et sectionibus[1] decorum. Fecit quoque turres altas et mirabiles: pauca remanent ex una * illarum, in parte orientali, supra exitum aquarum quae profluunt e civitate; et etiam ad solum hic illic fundamenta. Nam iste murus a Seleuco aedificatus rursum destructus et eversus fuit, sicut monstraturi sumus postea, tempore suo, adiuvante Deo. Aedificavit quoque in civitate aulas regias et palatium splendidum, et arces quattuor eximias et munitas, ad quattuor angulos urbis. Fecit etiam palatium magnificum ad fontem aquarum in parte occidentali urbis ad radices montis infra arcem superiorem; in quo fecit templum magnificum et altare diis, secundum eorum legem. Et introduxit etiam aquas in civitatem ex parte eius septentrionali, quas adduxit e tractu longinquo per canales profundos et subterraneos, labore quam maximo. Et eas ordinavit et distribuit per aquaeductus et canales in tota civitate, in aulis nobilium, in templis et oratoriis et in plateis urbis. Disposuit in ambitu vicos et tabernas, ordinem splendidum, constructionem solidam magnis lapidibus, et reliqua omnia quae in tanta urbe aedificari decebat. Extra autem civitatem constituit aliam distributionem aquarum et canalium, et plantavit hortos et paradisos et varia genera vinearum et domos campestres.

* p. 106.

[1] Quid sensus? Vox fortasse corrupta. Num portas designare voluit?

Incoluit regionem campestrem et in eam direxit rivulos et fluenta ad irrigationem et prosperitatem fructuum. Et sic totam regionem circumivit usque ad Euphraten flumen, ex omni parte, et usque ad montem magnum Ašuma[1] ab oriente, et condidit in ea pagos, castella, viculos et villas sine numero. 5
et ea ditavit emissionibus aquarum et fluentium abundantium, et omnibus utilibus ad sustentationem vitae habitantium. Et
* p. 107. sic completa est constitutio * huius urbis regiae. Et impositum est ei ab ipso rege Seleuco magnanimo nomen novum, Edessa, de nomine filiae eius maioris quae appellabatur Edes- 10
sa: et huic eam dotem dedit.

De aedificatione Antiochiae ceterarumque urbium quas aedificavit rex ille. — Aedificavit quoque civitates plures post Edessam. Primum, Antiochiam magnam Syriae, de nomine filii sui Antiochi. Aedificavit quoque Laodiceam civitatem, ad 15
littus maris, de nomine filiae suae alterius Laodiceae. Et aedificavit quoque Halebum civitatem et nominavit eam de nomine filiae suae alius, Beroae. Et aedificavit quoque Seleuciam magnam, de nomine suo. Et aedificavit quoque Apamaeam et Kennesrin[2]. 20

Et regnavit multos annos[3], et mortuus est.

Hoc tempore erat Ierusalem patriarcha[4] Iudaeorum Eleazar; et sumpsit sibi uxorem Zahiath[5] filiam Tolah, et genuit ex ea Mathan.

Antiochus[6], filius Seleuci, regnavit in Syriam ad occidentem 25
Euphratis. Divisa sunt imperia post mortem Seleuci. Quidam regnaverunt in Persidem et Mediam; alii regnarunt in Misrin et Aegyptum, alii in Macedoniam et Pontum.

Is autem Antiochus[7] rapuit Iudaeam et abolevit leges Iudaeorum, et coegit eos vivere more paganorum; et eos qui non as- 30
sentiebantur suppliciis cogebat. Et ingressus Ierusalem, sustulit ministerium templi, et in templo imaginem Iovis erexit.

Hoc tempore condemnati sunt ab Antiocho Eleazar sacer-

[1] Prope Amidam. — [2] Chalcis, prope Halebum. — [3] Eus. *Chron.:* XXXII. — [4] Sic. Euseb. recte ἀρχιερευς ... — [5] *Spel. Thes.:* Dihath, Denhath. — [6] Cognomine Soter. — [7] Haec ad Antiochum cognomento Epiphanem spectant. Auctorem plures principes qui nomen Antiochum habuerunt confudisse patet.

dos, et septem iuvenes discipuli eius cum matre eorum Samône, Hierosolymis.

Et insurrexerunt Simeon et Mathathias filiique eorum, e pago Modin[1], adversus mandatum Antiochi, et restituerunt 5 leges patrum suorum, nec impietati annuerunt.

Hoc tempore prima vice cusa est moneta aurea, et denarii.

* Is Antiochus[2] exstruxit pontes miros et mirabiles: alterum supra flumen Sanga et alterum supra flumen Sebastiae, in regione Samosatae, cum iret ad adorandam aram quae erat in 10 monte alto supra Gaviktai, in vicinia monasterii illustris Mar Barsaumae. Et inscriptiones quae scriptae sunt in magnis tabulis lapideis et in columnis quae ad pontes stant usque hodie, haec nota faciunt. * p. 108.

Antiochus autem ivit in Persidem, et ibi mortuus est.

15 Post annos duodecim surrexit Iudas Macchabaeus, et expulit e regione sua ducem exercituum Antiochi; et mundavit templum, et instauravit ministerium quod cessaverat triginta annis.

Res autem filiorum Israel, pugnae arduae quae in eos exci- 20 tatae sunt, et rebellio eorum adversus reges vicinos: haec scripta sunt in tertio libro Macchabaeorum, et liber Ezrae scribae reliqua docet.

Hoc tempore regnabat in Aegypto Ptolemaeus[3], qui dolo cepit Ierusalem, et ab ea captivos abduxit, quos in Aegypto 25 collocavit.

Et anno 35°, regni eius, accepit sacerdotium Ierusalem Eleazar, frater Simeonis; quia huius filius, Onias, adhuc iunior erat[4].

Initium regum Aegypti, qui vocati sunt Ptolemaei — Ptole- 30 maeus Manetho filius Leporis, regnavit annos xxxx. Is dolo cepit Ierusalem, et captivos inde abduxit eosque in Aegyptum collocavit, ut diximus.

Ptolemaeus Philadelphus regnavit annos xxxviii. Is Ptole-

[1] Textus: M o r i'i m, pro more syrorum. — [2] Magnus. — [3] Ptol. Lagi filius. — [4] In margine, recenti manu: Hoc tempore fuit Iesu, qui vocatur Asira. Sterilis erat mater huius Iesu bar Asira, et non habebat filium; et deprecata est Dominum ut daret ei filium.

maeus diligentiam fecit ut verterentur libri Hebraeorum in
* p. 109. linguam graecam per septuaginta duo * interpretes, anno 29°
Graecorum. Et cum regnaret, captivos Iudaeos qui erant in
Aegypto, libertos dimisit; misit quoque munera Eleazaro sacerdoti, Ierusalem. Septuaginta duo interpretes instituit Alexandriae in civitate, sedulo custodiendos a perfidia Iudaeorum.
Translati sunt libri et inter se collati in Cypro[1] insula, anno
34° Graecorum.

Ptolemaeus Euergetes regnavit annis XXVI, anno 61° Graecorum.

Hoc tempore, Onias summus sacerdos noluit persolvere tributum huic Ptolemaeo, et eum fecit sibi inimicum. Et Iosephus, vir notus ex Hebraeis, adiit Ptolemaeum regem, eius iram placavit et accepit ab eo potestatem in civitates Iudaeae.

Reliquos reges qui vocati sunt Ptolemaei non scripsimus, propter nimiam extensionem.

De urbe Roma; et de Romulo rege, qui primus in ea regnavit diebus Achaz regis Iudaeorum; et per lapsum qui nobis accidit, non scripsimus supra, per singula, historiam Romae. — Is Romulus rex condidit Romam urbem magnam Italiae; et amplificavit eam multum, et ornavit eam, et ditavit eam aedificiis magnis, et statuis, et templis, sanctuariis, altaribus, aquaeductibus et cloacis. Et ita eam constituit, ornavit, disposuit, ut omnibus urbibus mundi maior et praestantior esset. Constituit in ea sedem sublimem regni sui potentissimi; et extendit dominationem suam in regna multa mundi. Et complectuntur fines eius, ad orientem: universam Thraciam, Asiam, Syriam, Libyam et universam Aegyptum, et Phoeniciam, Palaestinam, et Mesopotamiam usque ad Niniven caput Assyriae; ad septentrionem: universam Armeniam et Alanos, Russios et Chazaros, et Galatiam, totam Graeciam et insulas; ad
* p. 110. occidentem: omnia loca diversarum * linguarum, ab hoc mari ad oceanum magnum.

Is rex Romulus primus regnavit in hac illustri civitate. Fertur hunc Romulum habuisse fratrem qui vocabatur Romus. Et exorta inter eos inimicitia, occidit Romulus fratrem suum

[1] Sic; lege « Pharo ».

Romum, et regnavit solus. Quo facto, non quiescebat civitas a terrae motibus, nec incolae a bello; et dictum fuit regi, ut erigeret statuam fratri suo. Et fecit imaginem auream in similitudinem fratris sui, quam posuit secum in sede regni. Et quie-
5 vit civitas a bello, et cessavit terrae motus. Et quando imperabat rex, duorum nomine imperabat, id est: iubemus, volumus. Hac de causa mos iste viget inter Graecos usque hodie, id est, ut dicat rex: iubemus, volumus.

Sermo de Roma [1]. — Dicunt scriptores de Roma, in ea fuisse
10 vicos magnos et spatiosos trecentos et viginti quattuor. Sunt in ea templa splendida et magna, quae hodie facta sunt ecclesiae catholicae, viginti quattuor. Sunt in ea dii aurei octoginta. Sunt in ea dii eburnei LXIIII. Sunt in ea canales aquas emittentes mille et trecenti et LII. Sunt in ea tabernae pistorum, quae
15 victum praebent incolis et peregrinis, quadringentae et LXXIIII. Sunt in ea balneae nongentae et LVI. Sunt in plateis eius statuae aeneae regum et imperatorum triginta [2] milia et septingentae et LXXXV. Sunt in ea bases marmoreae magnae XXXI. Sunt in ea statuae familiae Abrahae, Sarae et Hagar, et regum familiae
20 Davidis, quas attulit Vespasianus postquam vastavit Ierusalem, ut exponemus postea, XXV; et etiam portae templi Ierusalem. Sunt in ea * columnae duae cochleatae. Sunt in ea loca spatiosa * p. 111. theatrorum IX. Sunt in ea equi aenei magni et solidi, qui stant supra bases, XXII. Sunt in ea torcularia olearia milia duo et
25 trecenta. Sunt in ea carceres ducenti nonaginta unus. Sunt in ea excubiae sescentae et septuaginta tres, et principes earum septem. Sunt in ea domus habitantium quadraginta et sex milia et sexcentae tres. Sunt in ea domus nobilium mille et septingentae et nonaginta septem. Sunt in ea latrinae in pla-
30 teis mille et quadringentae. Sunt portae civitatis septuaginta. Est autem circuitus civitatis pedum myriades CCCXXXVI, qui sunt milia passum quadraginta. Est extensio civitatis ab oriente ad occidentem milia XII, et a septentrione ad meridiem milia XII. Sunt in ea sepulcra quinquaginta milia.

[1] Cf. Historiam Pseudo-Zachariae (t. VI huius seriei; textus, p. 195; vers., p. 131); cui documento fides non absoluta, maior tamen quam nostro, debetur. — [2] Sic ms.; lege « tria ».

Scripsit itaque de ea Antoninus rex, in epistula ad Antiochenos: Romae uni, assignamus honorem ut sit ei primatus honoris super omnes civitates, propter eius magnitudinem et propter sedem imperii. Post autem Romam, in universo orbe, maxima est Alexandria, et post hanc quattuor aliae urbes: Carthago, Ephesus, Nicomedia et Antiochia vestra. Mensuratae enim sunt hae quattuor civitates, et etiam Alexandria a geometris atheniensibus Aristotele et Timarcho et Pericle, ita ut sine ulla contentione sit Carthago, in Africa, maior Epheso tribus millibus et septingentis et sexaginta passibus; et Ephesus *maior* Nicomedia passibus septuaginta, et Nicomedia *maior* Antiochia mille * octingentis et viginti passibus; Alexandria autem superat omnes has civitates simul computatas myriade et tribus millibus et nongentis et LXXXVII passibus[1].

* p. 112.

De mirabilibus quae sunt in mundo. — Est itaque in magna Alexandria turris[2] alta, seu locus observationis, aedificata ad littus maris supra quattuor canceres vitreos, et in vertice eius speculum in quo vident quidquid agitur in mari ad centum milia. Est rursum aedificium mirandum, templum idolorum in urbe Roma, quod semel singulis saeculis aperiebatur. Est rursum templum Cyzici, quod habet fenestras CCCLXVI, et singulis diebus ingreditur sol unam ex illis fenestris, per totum anni decursum. Sunt etiam columnae tres Herculis in mari, ad quas cum perveniunt naves omni spe destituuntur. Est rursum templum in urbe Cnosso[3], quod ingressus quidam exire nescit, nisi quis peritus educat illum. Duo sepulcra sunt in Aegypto utrumque longum quingentos cubitos. Paries est Alexandriae, in quam critur sol, sed nunquam in eam venit pluvia.

De nomine Syriae. — Saepius nomine Syriae utuntur, qui volunt loqui de regione occidentali, et etiam de locis Edessae circumvicinis quae iacent inter duo flumina nostra: et nomine Mesopotamiae seu Interflumina quando mentionem facimus Gozarthae[4]. Et videmus simplices non id observare, sed re-

[1] Cf. locum parallelum in *Chronico* Michaelis Syri, lib. V, cap. III.— [2] Vox arabica, «minaretum». — [3] In textu: Colossos; legendum ܩܢܘܣܘܣ — [4] Sic, corrupto textu. Narratio e Dionysio Tellmahrensi desumpta. Textus melius se habet apud Michaelem Syrum (ed. Chabot, p. 522), ubi

gionem Mesopotamiae Syriam proprie vocant, et eos qui ad occidentem Euphratis habitant Syros metaphorice appellant. Ideo exponimus nomen Syriae genericum esse et in duas species dividi. Ii proprie dicuntur Syri, qui in regione * ad occi- * p. 113.
5 dentem Euphratis sita habitant, quae in longitudinem extensa est ab Amano monte, prope Antiochiam ad boream sito, usque ad fines regionis Philistinorum, austrum versus; in latitudinem vero a mari ad Euphratem flumen. Et quare vocata est Syria, discite. Eo tempore quo habitabant Israelitae in Aegypto, duo
10 fratres visi sunt in hac regione: unus vocabatur Syrus et alter Cilicus. Et cum uterque cupidine principatus detineretur, ad pugnam devenerunt; tunc Cilicus cum suis copiis abiit in regionem ultra montem Amanum, quem hodie montem Nigrum vocant, et ibi regnavit, et *regio* de nomine eius cognominata est
15 Cilicia. Syrus autem regionem ad occidentem Euphratis tenebat, quae Syria, de eius nomine, appellata est, et postea divisa est in varia regna. Haec omnino dicere volui quia nonnulli dicunt: Non surrexit rex e Syria. Postquam autem Israelitae ingressi sunt terram promissionis et constituerunt regnum dis-
20 tinctum, et Tyrii quoque regnum peculiare, Edomitae qui regnaverunt Damasci reges Syrorum appellabantur, quemadmodum in Scripturis, secundum versionem LXXvirorum, invenimus. Scriptum est in libro Regum ita[1]: Bar Hadad, rex Syriae, congregavit exercitum suum et adscendit in Samariam. Et rur-
25 sum[2]: Servi regis Syriae dixerunt ad eum: Deus montium est Deus Israelitarum, non deus vallis. Et rursum[3]: Dixit rex Israelis servis suis: Nescitis nostram esse Ramoth Galaad. Abstinebimus eam eripere e manibus regis Syriae? Ergo hi qui ad occidentem Euphratis, proprie sunt Syri. Metaphorice autem
30 dicuntur Syri qui lingua aramaea loquuntur, sive ad occidentem sive ad orientem Euphratis, seu * a mari usque ad * p. 114. Persidem. Et in hac regione multi reges fuerunt: Edessae *reges* familiae Abgari; in ʻArab *reges* familiae Sanaṭruq, qui regna-

legitur: « Saepius cum loqui volumus de regione occidentali nomen Syriae a nobis adhibetur, et nomen Mesopotamiae, seu Interflumina, quando mentionem facimus Gozarthae (arab. *al-Djezirah*) ».

[1] IV *Reg.*, vi, 24. — [2] III *Reg.*, xx, 33. — [3] III *Reg.*, xxii, 3.

bant in urbe Ḥaṭra; Ninive *reges* familiae Beli et Nini; Babylone *reges* familiae Nebucadneṣar qui lingua aramaea locutus est, propter somnium et interpretationem statuae [1]. Haec diximus ut ostendamus quod Syri proprie sunt occidentales; et Insulares seu Mesopotameni qui *habitant* ad orientem Euphratis [metaphorice dicuntur Syri[2]; et quod radix seu fundamentum linguae syriacae seu aramaicae Edessa est[3] ....

[*plura desiderantur*]

.... gentes. Et impleta est rursum prophetia Danielis dicentis quod deficiet oleum unctionis. Ad hunc Herodem omnes duces Iudaeorum uncti erant, qui inceperunt a diebus instaurati templi; et secundum prophetiam rursum Danielis, qui vaticinatus est et dixit [4]: Scito et intellege, ab exitu sermonis, venturus est unctus princeps per hebdomadas septem et per hebdomadas sexaginta duas, quae sunt anni CCCCLXXXIII, qui sunt anni uncti *principis*, et est ultimus eorum annus in quo factus est Hyrcanus sacerdos, is qui a Parthis captus est. Et non ulterius constitus est Iudaeis sacerdos e successione sacerdotum. Herodes enim cum regnaret, non eis qui erant e successione sacerdotum tradebat sacerdotium, sed viris ignotis. Arcessivit enim Babylone Hananielem eumque instituit summum pontificem; et illum postea occidit; et paullo post instituit Aristobulum, filium fratris suae uxoris.

Hoc tempore Romae rursum factus est census, in quo descriptae sunt hominum myriades quinquaginta [5].

* p. 115. * Tempus Nativitatis Domini nostri fuit annus 309 Graecorum. Anno 41° Augusti Caesaris, qui erat annus 33ᵘˢ Herodis, missus est Cyrinus praefectus Roma in Iudaeam ad descriptionem capitationis: et hoc tempore natus est Christus in Bethlehem Iudae, e Maria beata virgine pura, sponsa Iosephi iusti, filii patrui ipsius *Mariae*, cui divina dispensatione, propter

[1] Cf. DAN., IV, V. — [2] Haec excidisse videntur. — [3] Desunt folia plura. — [4] Cf. DAN., IX, 25; sed auctor voces in proprium sensum contraxit, quem exprimere conati sumus. — [5] Quae sequuntur (p. 115-118 nostri textus) congruunt, saepe ad verbum, cum libro *Spelunca Thesaurorum* inscripto (ed. Bezold, p. 212-249, passim).

custodiam, non autem in coniugium, tradita fuerat. Iudaei autem immundi, qui nesciebant veritatem rei divinae, blaterabant et dicebant Mariam ex adulterio peperisse. Et hoc quia ignorabant prosapiam Mariae. Quidam ex antiquis scriptoribus invenit hanc seriem generationum quae supra scripta est. Quia valde urgebant Iudaei christianos ut ipsis patefacerent maiores Mariae in successione generationum, et vocabant Mariam adulteram, et Christum adulterii filium; et cum invenissent Christiani successionem generationum Mariae, totam veritatem Iudaeis demonstrarunt, et ex inde crediderunt Iudaei Mariam e semine Davidis et Abrahae esse. Iudaei autem non possunt monstrare successionem generationum maiorum suorum, quia bis igne consumpti sunt libri eorum: prima vice diebus Antiochi, filii Seleuci, qui polluit templum Domini et coegit Iudaeos ad sacrificandum; altera vice, diebus Herodis, quando vastavit Ierusalem et libros eorum combussit.

Fuerunt autem ab Adamo usque ad Christum generationes LXIII; et a Cyro usque ad passionem Christi anni quingenti, secundum prophetiam Danielis dicentis[1]: Post sexaginta hebdomadas occidetur Christus. Hinc clauditur os Iudaeorum qui dicunt nondum venisse Christum. E duobus unum decet eos agere: aut recipiant prophetiam Danielis, aut fateantur se eam non recipere. Nam * prophetia eius impleta est, et hebdomadae
* p. 116.
transierunt, et Christus occisus est, et Ierusalem diebus Vespasiani Caesaris vastata est.

Fuerunt ab Adamo ad Christum, seu ad eius nativitatem, anni 5500; et a Captivitate Babylonis et reditu Israelitarum in Iudaeam ad ortum Salvatoris nostri, anni 550.

Iacob itaque, prout supra diximus, duxit uxorem Ḥadibath, filiam Eliezeri, et ex ea genuit Iosephum. Et Ioiacim, frater ipsius Iacobi, sumpsit uxorem Ḥannam, filiam Pachod, et post annos ex quo eam duxit sexaginta peperit Mariam, ex qua natus est Christus. Et quia erat Iosephus filius patrui Mariae secundum carnem, praescientia Dei, qui sciebat eam persequendam fore a Iudaeis, ei tradita est, ut in eam invigilaret.

Duobus autem annis antequam nasceretur Christus, stella

[1] DAN., IX, 26.

in caelo apparuit Magis in Oriente, quae splendore adspectus sui omnes stellas superabat; puella in medio eius sedebat parvulum gremio suo gerens. Et quando voluerunt adscendere, commotae sunt omnes civitates Orientis, et quando pervenerunt Ierusalem commotus est Herodes et tota Ierusalem cum eo. Et misit Herodes ad Magos, et interrogavit eos de ipsorum adventu. Et narraverunt ei rem stellae quae eis apparuit in eorum regione, et signum quod in stella viderunt. Et dixerunt ei: Puer natus est in regione tua, et volumus eum videre et adorare. Tunc Herodes valde timuit, et dixit eis: Ite, quaerite puerum et cum eum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego eam adorare eum; sicut scriptum est in venerando Evangelio[1]. Et statim profecti sunt Magi. Et cum egrederentur Ierusalem, apparuit eis stella: et gavisi sunt gaudio magno. Et ecce *stella ibat ante eos donec pervenerint Bethlehem. Et ingressi sunt speluncam, et viderunt puerum cum Maria, matre eius, in humiliatione et summa paupertate; et adoraverunt eum honorifice, et obtulerunt ei munera sua, aurum et myrrham et tus. Tria munera declarant tria mysteria quae in eo sunt: aurum, eius imperium; tus, eius divinitatem, myrrha, eius sepulturam vivificatricem. Et natus erat octo dies Christus, quando oblata sunt ei munera, in die eius circumcisionis. Et die quadragesimo deduxerunt eum ad templum, ut facerent pro eo sacrificium, secundum legem Moysis. Et accepit eum in ulnis suis Simeon senex, filius Iesu filii Iozedec, qui diebus captivitatis adscendit Babylone, et natus erat annos quingentos cum portaret eum. Et patratum est miraculum eo die: Simeon enim senex, quem memoravimus, a longo tempore non poterat pedibus stare ob provectam aetatem; et eo die, dum domi iacet in lectulo suo, dixit ei Spiritus sanctus: Surge, i ad templum; et suscipe ulnis tuis Christum propter quem vitae temporali quingentos annos alligatus es. Et illico indutus est virtute divina, et pedibus stetit, et ivit statim ad templum, et portavit eum brachiis suis, et ei supplicavit ut ipsum demitteret e vita. Et confessus est Domino, puerumque dedit matri eius; et cum haec eum accepisset, statim ruit Simeon et mortuus est.

*p. 117.

[1] MATTH., II, 8.

Hoc tempore, erat prophetissa Hanna, filia Phanuel; et ipsa quoque, eo momento quo adduxerunt Christum ad templum a spiritu venit et laudavit Deum propter salvatorem qui Israeli ortus est.

5 Magis autem, postquam adoraverunt Christum, in somnio manifestatum est ne redirent ad Herodem; et alia via abierunt in locum suum. Tunc angelus Domini * in somnio apparuit Iosepho, et dixit ei: Surge, abduc puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum. Quaesiturus enim est Herodes puerum ad per-

* p. 118.

10 dendum eum. Et quidem statim e somno surgens Iosephus, fecit sicut iussit eum angelus Domini, et abduxit puerum et matrem eius et fugit in Aegyptum; et illic fuit usque ad mortem Herodis. Herodes vero cum videret se illusum esse a Magis, misit occidere omnes pueros Bethlehem et in omnibus finibus

15 eius, a bimatu et infra, secundum tempus quod inquisivit a Magis.

Brevi tempore antea natus est Iohannes, filius Zachariae, in monte Iudaeae. Et Herodi relatum fuerat angelum, antequam nasceretur filius, Zachariae patri dixisse, cum nuntiaret eius

20 nativitatem: Erit tibi filius, et vocabis nomen eius Iohannem. Hic erit magnus coram Domino, et Spiritu sancto replebitur adhuc in sinu matris eius; et multos filiorum Israel convertet ad dominum Deum, et parabit Domino plebem perfectam. Haec cum recordaretur Herodes, ait: Vere Iohannes filius

25 Zachariae regnaturus est in Israel. Et misit ad Zachariam, eique dixit: Ubi *est* Iohannes filius tuus? Et dixit Zacharias: Ego sacerdos sum, et in templo Domini ministro, et a templo non discedo, ne una quidem hora. Ubi sit puer cum matre eius nescio. Et statim iussit Herodes Zachariam occidi in ipso

30 templo Domini, inter cancellos et altare. Et mansit copiosus sanguis eius hoc loco per longum tempus. Elisabeth autem, uxor eius, cum didicisset quae acciderant Zachariae, marito suo, tulit filium suum et exivit in desertum, et ibi mendicabat inter tabernacula Ma'adaeorum[1], quae ibi fixa erant, et *sic* vivebat. Iohannes autem lacte eius nutriebatur usque ad annum quindecimum; postea auspicatus est praedicationem.

[1] Tribus Arabum ex eis quae saec. VII christianismum professae sunt.

*p. 119. * Herodes autem regnavit annos triginta et unum; et post omnia mala quae fecit, attigit eum amarum Dei iudicium, sine misericordia; percussit eum Dominus, et scaturivit vermibus et foetuit halitus eius sicut *odor* cadaveris. In sua angustia e Iudaeis multos occidit multosque carcere inclusit, et 5 iuramentum imposuit Archelao, filio suo, et Salomae, suae sorori, eisque dixit: Ubi mortuus fuero, occidantur qui inclusi sunt, ut morte istorum ceteri Iudaei contristarentur et lugeant, *si*cque mihi luctum vel inviti faciant; nisi ex singulis domibus vir occidatur, gaudebunt et laetabuntur de mea morte. Et cum 10 mortuus esset Herodes, fecit filius secundum eius mandatum. Et cum id factum esset, non mansit in Iudaea domus quae in luctu non fuerit; et in Herodem planctum magnum inviti fecerunt.

Postquam mortuus est Herodes regnavit in Iudaeam Arche- 15 laus, filius eius. Tunc angelus Domini in somnio apparuit Iosepho in Aegypto, et dixit ei: Surge, accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Iudaeae. Mortui enim sunt qui quaerebant animam pueri [1]. Et surgens Ioseph accepit puerum et matrem eius, et ivit in terram Iudaeae. Et cum audivisset 20 Archelaum regnare in Iudaeam, timuit ibi habitare et ivit habitare Nazareth; et ibi crevit puer.

Post Archelaum vero regnavit Herodes tetrarcha annos XXIV, iussu Augusti Caesaris.

Et cum adolevisset Iesus Nazareth Ierusalem venit, et ibi 25 erat in templo, omni tempore, docens et faciens prodigia, etiam in pagis Ierusalem vicinis.

Hoc tempore accidit historia Abgari regis.

De Abgaro rege Edessae. — Hoc tempore, cum defecisset genus regum Edessae e familia Seleuci, qui reaedificaverat 30 *p. 120. Edessam post Nemrodum, ut * supra scripsimus [2], et non inveniretur e stripe Graecorum qui principatum acciperet, servabat amicitiam cum imperio Graecorum populus armenus qui Edessae habitabat et praevalebat; idcirco, constituerunt regem virum genere armenum cui nomen Abgarus. Is itaque et 35 filii eius spatio trecentorum et octoginta annorum dominati

[1] MATTH. II, 20. — [2] Cf. p. 83.

sunt in Edessam et Mesopotamiam. Plures ex illis appellati sunt Abgarus de nomine primi regis eorum. Tempore dispensationis Domini nostri, quando venit et apparuit in mundo Christus, cum regnaret Romae Augustus Caesar, regnabat 5 Edessae is Abgarus filius Ma'nu, qui vocabatur Uchama, propter fuscum colorem eius.

De aedificatione Atūr, quae est Mosul, anno 329°. — Tempore quo regnabat Edessae et in Mesopotamiam Abgarus filius Ma'nu, regnabat in Persidem et Mediam rex cui nomen 10 A t ū r ī n. Is vero multum praevaluit in reges vicinos, et adscendit usque Tigrim fluvium, ad quem sita est magna Ninive, quae a Nemrodo gigante aedificata fuit, et vastata est lamentabili subversione quae ei accidit quadraginta annis post paenitentiam diebus Ionae prophetae *actam*. Cogitavit autem rex 15 Atūrīn Niniven denuo aedificare et restituere. Quidam vero senes, optimates eius populi, suaserunt ei congruum esse ut aedificaret novam, non vero ab alio conditam civitatem resuscitaret, quam attigerat calamitas. Accepit igitur consilium et, transgressus in alteram fluminis ripam, aedificavit civita- 20 tem munitam et famosam quam appellavit de nomine suo Atūr. Cum autem eam condidisset et absolvisset, valde gloriatus est et continuo imperium Abgari vexabat.

* Hoc tempore, Romae factus est census; et inventus est * p. 121. *numerus civium* centum myriades. Et accidit defectio solis. 25 Et mortuus est Augustus Caesar, et regnare coepit Tiberius annos xxiii, anno 324° Graecorum.

Et anno 15° Tiberii, coepit Dominus noster docere per tres annos. Et eodem anno coepit Iohannes baptizare in Iordane, et praedicare de regno Dei.

30 Eo tempore pervenit ad Abgarum Edessae regem fama Christi et auxiliorum eius; et ad eum legatos suos misit.

De conversatione Abgari cum Christo. — Hoc itaque tempore rex Persarum qui constituit sedem suam in Atūr, multum vexabat Abgarum regem.

35 [Et hoc tempore], id est anno 342° Seleuci [seu Graecorum][1], misit Abgarus legatos ad Christum; quia audiverat famam

[1] Uncinis inclusa in marg.

curationum et virtutum quas operabatur, eo quod in corpore suo laborabat gravi morbo leprae. Misit ergo legatos et cum eis Ḥananiam tabellarium, et scripsit per ipsos epistulam quae ita se habet:

Epistula Abgari. — Abgarus Uchama, toparchus, Iesu Salvatori, qui apparuit Hierosolymis: salutem. Mihi relatum est de te et de sanatione quae per te fit sine medicamentis et plantis. Idcirco rogo te ut properares venire apud me, et sanes hunc morbum quo laboro. Audivi etiam Iudaeos murmurare adversus te, et velle tibi malefacere. Civitas quidem parva mihi est et amoena, quae tamen duobus sufficiat.

De imagine seu figura Christi in mantili. — Quia etiam cautus erat Abgarus rex, mandaverat Ḥananiae tabellario ut, si non veniret * cum eis Christus, quocumque modo afferrent ei imaginem eius figurae in tabula, ut eum contemplaretur. Cum autem pervenissent Hierosolyma et invenissent Christum, dederunt ei epistulam, et eam legit. Eis statim responsum epistulae scripsit; et tamquam rerum secretarum cognitor, petiit aquam, et lavit faciem suam, et sumpsit mantile quo detergeret vultum suum, et statim, magno prodigio, depicta est imago vultus eius in hoc mantili, sicuti est, in similitudinem eius; et mantile cum responso epistulae legatis Abgari tradidit.

* p. 122.

Responsum epistulae.— Beatus qui credit in me, cum non me vidit. Quoad id quod scripsisti mihi: ut venirem ad te et visitarem te, decet me hic omnia adimplere, et adscendere ad eum qui misit me. Postquam autem elevatus fuero, mittam tibi unum e discipulis meis, qui morbum tuum sanet et vitam tibi det. Et arx tua benedicetur, et Assyrius non dominabitur in eam.

De reditu legatorum Abgari. — Cum itaque accepissent legati epistulam et sudarium seu mantile, et statuissent redire ad dominum suum, progressi sunt et pervenerunt ad civitatem Mabbūg. Et cum devertissent in quemdam locum extra civitatem, quia vigilabant super mantile, adscenderunt in tectum, ubi consistebant, et illud inter duas tegulas in loco mundo deposuerunt. Et ecce nocte dum dormiunt lux magna descendit de caelo

supra locum in quo depositum erat. Et cum incolae loci visionem hanc eximiam viderent, convenerunt ad hunc locum. Et cum non possent legati rem celare, totum negotium narrarunt, sicut erat. Et cum intellexissent cives urbis causam lucis, 5 petierunt ut benedicerentur ab hac imagine; quia viderant hoc prodigium magnum quod factum est. Et cum extendisset manum Ḥanania tabellarius ut sumeret mantile, * invenit imaginem Salvatoris depictam in ipsis tegulis. Et cum vidissent incolae loci hoc prodigium alterum, rursus inflammati sunt 10 amore eius, et suaserunt Ḥananiae ut ipsis daret has tegulas, quae sint in benedictionem et custodiam sui loci. Et cum accepissent has tegulas, deposuerunt eas cum honore in loco conspicuo templi sui. Et ita inter eos prodigia et sanationes multae operabantur donec venerit ad eos Philippus apostolus, qui 15 eos edocuit; et aedificavit ecclesiam magnam, in qua tegulas sacras deposuit. Et postquam defunctus est apostolus sanctus in martyrio pro Christo, ibi corpus eius sanctum depositum est.

* p. 123.

Legati igitur sumpserunt mantile et venerunt Edessam. Re audita, Abgarus rex exivit obviam eis cum universa civitate; 20 et excepit eos cum magno apparatu et mantile sacrum veneratus est; et accepit levamen morbi sui dum veniat ad ipsum Addaeus apostolus, post ascensionem Domini nostri, qui eum baptizavit et eius infirmitatem perfecte sanavit. Et doctrinam amplexi sunt cives Edesseni, et baptizati sunt omnes et facti sunt 25 christiani.

De templo magno quod vocatur Abgari. — Erat autem Edessae templum magnum paganorum, splendide aedificatum tempore magni regis Seleuci supra fontem aquarum, in parte occidentali civitatis, et pulcerrime ornatum erat; in medio eius 30 erant columnae marmoreae magnae. Illud aperuerunt a parte orientali et aedificarunt sanctuarium in quo fixerunt altare mysteriorum; et in eo oblationem obtulit divinus apostolus Addaeus et communicaverunt rex et universa civitas; et appellatum est id templum Salvatoris nostri. Erat autem cum 35 Addaeo aliquis e septuaginta praeconibus, Aggaeus nomine, vestium sericarum artifex, Edessa oriundus. Discipulus erat Addaei, et assidue cum eo conversabatur. Hunc misit * Addaeus

* p. 124.

in plagam orientalem et in Persidem inferiorem; ipse autem abiit edocere Armeniam et universas has regiones.

De canali et aggere quae facta sunt Edessae. — Eo tempore, cum esset Edessae apostolus Addaeus vidit vallem qua veniebat continuo fluxus aquarum qui intrans et prorumpens ex parte occidentali civitatis, invadebat et corrumpebat multas domus, et omnia aedificia iuxta semitam aquarum evertebat. Alveus et emissarium a Seleuco et Nemrodo constituta, olim quidem aedificata fuerant in speciem arcuatae[1] porticus magnae et spatiosae cum duabus contignationibus et tribus semitis quibus transibat fluxus aquarum sine noxia; sed decursu annorum repleta fuerant arena, stipulis et quisquiliis diluvii. Studuit autem apostolus, ut sollicitudine, auxilio et curis regis Abgari constitueretur agger magnus ingentibus lapidibus initio vallis extra murum civitatis occidentalem, quae vocabatur vallis Stadii. Posuit fundamenta longa et larga magnis lapidibus quos conglutinavit calce et arenato; et fodierunt terram altamque fecerunt excavationem donec communicaret cum canali qui civitatem circumdat extra murum in tota regione septentrionali. Et ita liberata est, deinceps, civitas ab violenti inundatione, donec depravatus est agger, et accumulata est terra, et tum aliquando supra aggerem adscendebant aquae.

Et anno 16° Tiberii imperatoris Romae, baptizatus est Dominus noster a Iohanne praecone; et ieiunavit, et tentatus est; et fecit signa, virtutes et prodigia innumera.

Et anno 33°, *suae* aetatis, accessit ad passionem salutarem.

Scriptores autem Graeci[2] ita scripserunt: Quando quidem crucifixus est Dominus noster, obscuratus est sol et tremuit terra. Et dicunt rursum scriptores: * Die veneris quo crucifixus est Dominus noster, hora quarta, fuit obscuratio solis per longum tempus, et facta est nox hora sexta diei, ita ut stellae apparerent in caelo. Etiam Iosephus ita scribit: Pilatus praefectus imaginem Tiberii Caesaris introduxit in templum Dei nocte feriae sextae passionis, quod non licebat ei facere *antea,* eo quod dixerunt Iudaei: Non habemus regem nisi Caesarem. Et rursum

* p. 125.

[1] ܟܐܦ̈ܐ vitiosa scriptio pro ܟܦ̈ܐ. — [2] Testimonia quae hic recitat auctor ex Eusebii Chronico contraxit.

aliud testimonium scripsit Iosephus: In fine *festivitatis* pentecostes, audita est a sacerdotibus vox terribilis dicens: Recedamus inde.

Passus est autem Dominus noster anno 344° Graecorum, se-
5 cundum sententiam chronographorum; secundum vero Andronicum anno 340°. Surrexit autem e mortuis et apparuit discipulis, eosque certiores fecit de sua resurrectione, et imposuit eis manus, et eis benedixit. Tum iussit eos progredi et praedicare evangelium suum in universo mundo. Et adscendit ad
10 Patrem suum quadragesimo die post resurrectionem suam. Quidquid autem actum est ex quo ortus est salvator noster usque ad finem, scire potes ex Evangelio sancto, e Praxi duodecim apostolorum, et e libris doctorum orthodoxorum: qui ducti sunt a Spiritu sancto ad illuminationem veritatis.

15 Diebus decem post adscensionem Domini nostri in caelum: dum erant Apostoli in coenaculo *montis* Sion, descendit Spiritus paracletus et eorum ignorantiam erudivit. Et exierunt Apostoli et coeperunt creare episcopos.

Fuit episcopus primus Ierusalem Iacobus frater Domini
20 nostri.

Manserunt apostoli, peragrantes regionem Ierusalem et operantes prodigia, per annos duos cum dimidio; donec lapidatus est Stephanus primus martyr. Tunc, praecepto Domini, divisi sunt et abierunt unusquisque * in regionem sibi demandatam. * p. 126.

25 Pilatus autem notitiam misit Tiberio Caesari de doctrina christianorum; decrevit autem Tiberius christianos inquirendos et persequendos esse. Et cum non admitteret Pilatus mandatum Tiberii, tunc edicto eiusdem Tiberii, missus est Pilatus in exsilium.

30 Et postea mortuus est Tiberius Caesar. Regnavit autem post eum, Romae, Gaius annos quattuor.

Anno 2° Gaii, *is* misit Hierosolyma, regnare in Iudaeos, Herodem qui cognominatus est Agrippas; et fuit ibi annos septem.

Inde tibi sciendum est quantae tribulationes supervenerunt
35 Iudaeis; et usque ad ultimam consummationem permanebunt in desolatione. Praefectus enim Aegypti molestavit Iudaeos qui ibi erant, et replevit synagogas eorum statuis et aris, easque

polluit sacrificiis. Pilatus autem post tribulationes quae ei acciderunt, seipsum necavit, ut scripsit Philo philosophus.

Et mortuus est Gaius imperator. Et regnavit post eum, Romae, Claudius annos decem.

Hoc tempore, Petrus apostolus, postquam constituit sedem 5 Antiochiae, ivit Romam, et ibi fuit episcopus per annos viginti[1]. Et Marcus evangelista ivit Alexandriam, et ibi fuit episcopus annos viginti duos.

Et post Petrum fuit Antiochiae episcopus II^us Evodius.

Hoc tempore occisus est Iacobus frater Iohannis ab Agrippa, 10 qui inclusit etiam Simonem.

De praedicatione sanctorum apostolorum. — Duodecim apos-
* p. 127. toli * divini et septuaginta duo praedicatores fecerunt sicut a Domino nostro acceperant, et exierunt in omnes regiones; et praedicabant, et archiepiscopos et episcopos consecrabant. 15 Petrus, princeps apostolorum, praedicavit Romae et in Ponto, in Galatia, in Cappadocia et in Bithynia; Paulus, Hierosolymis, et usque in Hispaniam.

Marcus, discipulus Petri, praedicavit in Aegypto; Iohannes apostolus, Ephesi et in Asia; Matthaeus in Iudaea; Thomas 20 inter Parthos et Indos; Iacobus, filius Zebedaei, in Italia[2]; Andraeas [inter Cynocephalos][3], in Scythia, in Achaia, in Macedonia, et Thessalonicae.

Titus praedicavit in Creta; Levi, in Ponto interiore.

Addaeus, unus de septuaginta, praedicavit Edessae, diebus 25 regis Abgari, et hunc a morbo leprae sanavit.

Iudas proditor vixit die XL, usque dum Christus in caelos adscenderit, et tunc seipsum strangulavit; sed rupto fune, in terram cecidit, et a morte est salvatus, sed incidit in morbum pessimum tumoris per multos dies. Postea decidit e lectulo quo 30 iacebat, medio crepuit et diffusa sunt omnia viscera eius[4].

[1] In magine: Cum Romae praedicaret Petrus evangelium Christi, credidit regina, et descendit mari ut iret adorare Hierosolyma; sed surrexit procella; et apparuit ei Dominus noster et salvavit eam ab illa [procella; et invenit crucem defossam] in terra a Iudaeis, et eduxit eam. — [2] Sic ms. In margine additum est: « Occidit eum Herodes ». — [3] In marg. — [4] In margine: « Hoc tempore noscebatur Galienus, medicus ».

Nero regnavit Romae annos xiii et menses septem.

Hoc tempore Iudaei Iacobum, qui cognominatus est frater Domini, Hierosolymis lapidaverunt.

Et stetit post eum episcopus IIus Simeon, qui appellabatur Simon filius Cleophae.

Anno 7o Neronis imperatoris, decidit fulgur e caelo, et incendia damnosa Romae accendit.

Hoc tempore, post Marcum evangelistam, accepit episcopatum Alexandriae Anianus[1], annos xxii.

Hoc tempore, fuit Romae magna persecutio in christianos. * Et coronati sunt beati apostoli Petrus et Paulus opera Neronis imperatoris in ipsa Roma. Petrus quidem crucifixus est inverso capite; Pauli autem caput gladio amputatum est. Causa autem eorum coronationis fuit baptismus filii imperatoris. *p. 128.

Accepit episcopatum Romae, post Petrum, Linus, annos xii.

Antiochiae fuit episcopus IIIus Ignatius.

Et mortuus est Nero. — Galba regnavit menses vii. Is Romae media urbe occisus est. Et regnavit Vespasianus zelotes annos viginti.

Is itaque Vespasianus, cum Romae regnare coepisset se disposuit cum multo exercitu, curris et equis, et venit in terram Iudaeae. Et cum id audivissent omnes Iudaei regionis Palaestinae commotum est cor eorum. Et convenerunt milia et myriades Iudaeorum Hierosolyma, et ibi rebellarunt adversus imperatorem. Et portas clauserunt coram illo. Et similiter in omnibus arcibus munitis rebellarunt et se paraverunt ad pugnam. Cum autem pervenisset Vespasianus Caesar in regionem Iudaeae, coepit vastare et destruere sine misericordia, neque pepercit Iudaeis. Et penetravit in regionem et pervasit in omnes fines eius. Obsederunt singula loca et arces, et expugnaverunt eas, cunctos incolas ore gladii interimentes, rapientes et spoliantes quidquid coram eis inveniebatur; igni incendentes et evertentes omnia praesidia eaque penitus destruentes. Et postquam everterunt quidquid invenerunt extra Hierosolyma, in regione Palaestinensi, venit Caesar oppugnare Hierosolyma.

[1] Nomen corruptum in textu « ’AWWS ».

De expugnatione Hierosolymorum et de calamitate quam perpessi sunt Iudaei. — Cum venisset Vespasianus Caesar et castra posuisset adversus Hierosolyma, circumdederunt urbem copiae innumerae, quasi vallum, et ex omni parte circumsteterunt quasi annulus. Et aedificarunt in eam turres et mulas 5
* p. 129. ligneas. Et erexerunt * in eam plures aggeres et balistas. Et disposuerunt adversus eam ordines militum pugnantium. Et quis poterit calamitates enarrare quae obtigerunt Iudaeis in hac obsidione, et postquam defecerunt et perierunt *hominum* innumera milia et myriades fame adeo vehementi, ut ad id de- 10
venerint ut comederent calceos pedum suorum, quemadmodum de ipsis fuse scribit Iosephus. Is scriptor prudens et laude dignus, unus de famosis Pharisaeis erat. Ibat et redibat de negocio pacis tractans; sed, cum nihil profecisset, venit destructio ultima et consummatio absoluta. Et tradidit Dominus 15
civitatem in manus imperatoris Titi, filii imperatoris Vespasiani; nam antequam civitas expugnata esset, instituit filium suum Titum Caesarem, eique commisit multitudinem militum et eum reliquit adversus Hierosolyma, dum ipse Vespasianus profectus est versus Hispaniam, quia ad ipsum nun- 20
tium quoddam venerat e regionibus occidentalibus Aegypti.

Et cum tradita esset civitas in manus Titi Caesaris, exsilierunt milites undique, et urbem ingressi sunt vehementi furore; et strictis gladiis occiderunt et trucidarunt omnem statum et omnem aetatem, nemini parcentes. Fluxit sanguis 25
et exivit in vicos civitatis fluminis instar; et defluxit porta orientali versus vallem Iosaphati et per emissaria aquarum quae habebat civitas. Et postquam destruxerunt omnes qui inventi sunt Hierosolymis, magnos et parvos, collegerunt eos acervatim duo vel tria milia simul, et iniciebant in eos ignem et 30
naphtam, et cremabant eos. Potiti sunt aedium et aularum regalium, et magni templi; et sumpserunt copiam auri infinitam. Ausi sunt etiam milites in templum Salomonis aedificium splendidum et mirabile ignem proicere, qui in illo quasi in lignis silvae exarsit. Imperator autem Titus valde 35
* p. 130. contristatus est * hoc incendio, et cum ibi venisset iussit extingui ignem, sed non potuerunt templum salvare, cum iam igni occupatum erat. Et ita una hora crematum est et periit

illud gloriosum templum quod magno labore spatio quadraginta sex annorum aedificatum fuerat. Et sic accidit expugnatio Hierosolymorum. Scripsit autem Iosephus, fame periisse Ierusalem, ante expugnationem, centum myriades hominum; et postquam capta est Titi eiusque militum gladio sex myriades periisse, et decem myriades captas esse et venumdatas. Ratio tantae congregationis erat festivitas paschalis, in qua solebant convenire Iudaei ad celebrandum pascha. Congruum erat ut qui, die paschatis agressi sunt Dominum, eadem die factorum suorum paenam luerent. Et hoc non citius et post breve tempus *accidit,* sed post multa signa et demonstrationes quae spatio quadraginta annorum hanc ruinam amaram innuebant. Scripsit rursum de his Iosephus historicus et ait[1]: Populus iste malus et miser Iudaeorum qui falsum testimonium adversus Deum dederunt, perseverarunt in sua audacia, quasi mente capti et intelligentia privati essent, et, quasi nec oculos nec animam habuissent, neglexerunt praedicationem Dei misericordis ad paenitentiam eos invitantis, ut converterentur, per signa quae coram oculis eorum facta fuerunt spatio quadraginta annorum post passionem Salvatoris nostri. Vir enim quidam incultus loci, qui vocabatur Iesus filius Ḥananiae, quattuor annis ante bellum adversus Ierusalem, cum pace gauderet tota regio et civitas, venit ad festum in quo erigunt tabernacula Deo, pro more, et subito coepit clamare in templo: Vox ex oriente, vox ex occidente, vox e quattuor ventis; vox super Ierusalem et super templum; vox super sponsum et super *sponsam, vox super universum populum! Et tota die et nocte, per omnes vicos circumibat et id clamabat; ita ut quidam gentiles, cum audirent et reformidarent hoc nuntium malum, apprehenderunt virum et plagas graves ei inflixerunt. Is vero non mutavit sententiam, sed easdem voces secundum morem suum clamabat. Principes putaverunt eum a daemonio agitari, et miserunt eum ad praefectum Romanorum. Ibi plagis sauciabant corpus eius, ita ut excideret tota caro eius: ille vero eis non

*p. 131.

[1] Hic, ut supra, testimonia Iosephi ex Eusebio contraxit. Cf. *H. E.*, III, VIII.

restitit nec supplicationem obtulit, sed eamdem vocem inter supplicia dicebat: Vae! Vae Hierosolymis! Fuit autem et aliud signum antequam excitaretur bellum in eos. Nocte enim effulsit lux magna supra altare et supra templum, ita ut homines putarent diem illucescere. Permansit autem circiter me- 5 diam horam. Eodem tempore, quidam obtulit vaccam in sacrificium, quae medio templo peperit agnum. Rursum, fuit et aliud signum: Porta interior sanctuarii, quae erat aenea, et adeo gravis ut singulis vesperis viginti viri eam claudere vix poterant, et repagulis munita erat quae post eam agebantur, 10 hora sexta noctis inventa est sponte aperta. — Rursum, paulo post visio apparuit ante occasum solis: quasi currus supra totam regionem et quasi exercitus qui circumdabant Ierusalem supra nubes. Haec quidem ea quae mox ventura erant, innuebant. Indocti autem signum faustum esse existimabant, 15 docti vero et scripturarum periti, signum belli. — Haec acciderant anno 323° Graecorum.

Regnavit Domitianus ⌈annos XLII et menses II[1].

* p. 132. Hoc * tempore fuit episcopus III^us Romae Clemens, annos undecim. 20

Hoc tempore, mons Vesuvius ruptus est a vertice, et erupit ab eo ignis qui plures civitates in viciniis montis combussit. — Etiam Romae fuit incendium.

Domitianus autem magnam persecutionem adversus christianos excitavit. 25

Hoc tempore Iohannes evangelista in exilium eiectus est in Patmum insulam; et ibi vidit visionem illam quae dicitur Revelatio.

Et anno 11° Domitiani notus erat Apollonius e civitate Tyana. Is fecit talismata multa. Is contempsit matrimonium et 30 quidquid tetigerit mulier. Ait non decere virum sapientem ut comedat fabas aut lentes, neque vinum bibat.

Domitianus imperator iussit occidi viros gentis Davidicae, ut cesset imperium Iudaeorum. Etiam christiani multi persecutionem passi sunt. 35

Hoc tempore Alexandriae stetit episcopus III^us Abilius.

[1] Sic ms., evidenti lapsu. Eusebius: amos XV, menses V.

Domitianus autem in medio palatio occisus est.

Hoc tempore Romae factus est census; et inventae sunt myriades CL.

Nerva regnavit annum et menses quattuor.

Hoc tempore multi qui aufugerant coram Domitiano, redierunt. Dicunt Iohannem apostolum ex insula Patmo reversum esse, Ephesum venisse et ibi mortuum esse.

Traianus regnavit annos XIX. — Is Traianus excitavit persecutionem in christianos. Martyrium fecit Simeon, filius Cleophae, quem ligno affixerunt. Et pro eo fuit episcopus III^{us} Hierosolymis Iustus. De Iohanne evangelista scripsit Irenaeus eum usque ad annum nonum Traiani, in hac vita permansisse. Post eum famosi sunt eius discipuli: Ignatius, Papias, Polycarpus.

Secundus praefectus, postquam occidit multos christianos, * eorum numero perterritus, scripsit ad Traianum imperatorem, non inveniri adversus christianos aliud crimen nisi quod non sacrificant, et mane surgentes laudant Christum sicut Deum, et odio habent caedem, adulterium et cupidines. Respondit ei imperator: Ne demittatur[1] quis christianorum.

* p. 133.

Hoc tempore fuit terrae motus vehemens, et corruerunt civitates multae.

Hoc tempore fuit episcopus V^{us} Alexandriae Primus.

Hoc tempore martyrium fecit Ignatius Antiochiae; fuit autem post eum episcopus IV^{us} Heron.

Hoc tempore stetit episcopus VI^{us} Romae Alexander.

Hierosolymis autem, post Iustum fuit episcopus Zachaeus, et post eum Tobias, et post eum Beniaminus, ⌜et post eum Matthaeus, et post eum Felix[2].

Romae autem fuit episcopus VII^{us} Xystus.

Alexandriae fuit episcopus VI^{us} Iustus, ⌜ex militia[3].

Hierosolymis autem fuit episcopus X^{us} Seneca[4], et post eum XI^{us} Levi, et post eum XII^{us} Ephremus; et post eum XIII^{us}

[1] Sic ms.; Sync.: μὴ ἐκζητεῖσθαι Χριστιανούς. — [2] Apud Eusebium: Iohannes, Matthias et Philippus. Numerosas repugnantias in catalogis episcoporum occurentes notare supervacaneum visum est. — [3] Vel « ex servitute »; locus corruptus videtur. — [4] Nomen corruptum in ms.

Iudas. Omnes isti e circumcisione erant, donec expulit Hadrianus Iudaeos et christianos ne ingrederentur Hierosolyma.

Hoc tempore Quadratus, discipulus apostolorum, et Aristides, philosophi nostri, apologiam Hadriano scripserunt pro fide christianorum. 5

Hoc tempore Iudaei Mesopotamiae seditionem fecerunt. Praescriptum est autem Lysiae ut expelleret eos e conspectu suo[1]; et ex illis myriades multas occidit.

Hoc tempore Iudaei in Cypro impugnaverunt incolas urbis Salaminae, quam everterunt. Et necaverunt Graecos[2] qui in 10 ea erant. Et etiam Iudaei qui Alexandriae et in Aegypto erant, pugnarunt cum Graecis * qui ibi erant: sed eos devicerunt Graeci.

* p. 134.

Hoc tempore Romae census factus est, et inventae sunt ducentae myriades. 15

Antoninus regnavit Romae annos XXIV et menses tres.

Hoc tempore Hierosolymis institutus est episcopus primus e gentibus, Marcus, annos XV.

Et anno tertio imperii Antonini fuit episcopus IX[us] Romae Hyginus. 20

Hoc tempore Valentinus[3] et Cerdo haeresiarchae Romae innotuerunt. Et Iustus[4], philosophus noster, librum apologiae obtulit Antonino imperatori pro doctrina christianorum. Fecit quoque interpretationem Scripturarum.

Hoc tempore ⌜Montanus[5] et Marcio haeretici, noti erant in 25 Ponto et Phygia.

Romae fuit episcopus X[us] Pius, annos quindecim.

Antiochiae stetit episcopus VI[us] Eros.

Alexandriae fuit episcopus VIII[us] Marcianus, e philosophis.

Hoc tempore notus erat Crescens philosophus, qui Iusto[4] 30 nostro mortem martyrii paravit, quia redarguebat eum.

Hierosolymis autem fuit episcopus XVI[us] Cassianus, et post eum XVII[us] Paulinus[6]; et post eum XVIII[us] Maximus; et

[1] Sic ms.; rectius *Chron. pseudo-Dionys.* « e provincia » (t. I, p. 123, l. 19). — [2] Sic legendum, non autem « Iudaeos » ut habet textus manifesto lapsu. — [3] Sic leg.; ms.: « Montanius ». — [4] Sic ms.; leg. Iustinus. — [5] Sic legendum videtur; ms.: MWTINWS. — [6] Sic ms.; leg. Publius.

post eum XIX[us] Iulianus; et post eum XX[us] Gaius; et post eum XXI[us] Symmachus; et post eum XXII[us] Gaius, et post eum XXIII[us] Gaianas; et post eum XXIV[us] Capito; ultimus eorum Maximianus. — Episcoporum Ierusalem tempus non 5 cognoscitur, neque anni eorum quot sint.

Aurelius simulque quattuor imperatores alii Romae regnaverunt annos XIX.

Eorum tempore stetit episcopus * X[us] Alexandriae Agrippas. * p. 135.

10 Antiochiae fuit episcopus VII[us] Theophilus, cuius usque hodie exstant tractatus.

Episcopus VIII[us] Antiochiae, Maximus.

Hoc tempore fuit persecutio in Asia; et multi martyrium fecerunt.

15 Hoc tempore, fuit morbus tumorum[1] ubique.

Hoc tempore fuit terrae motus in Asia, et perierunt civitates huius regionis.

Hoc tempore Priscilla et Maximilla pseudo-prophetissae notae sunt in Phrygia.

20 Hoc tempore Apnos et Licos poetae noti sunt; qui scripserunt de eis quae in aquis sunt[2].

Hoc tempore fuit episcopus X[us] Romae Soter.

Hoc tempore Romae census factus est, et inventae sunt myriades CCL.

25 Commodus regnavit annos XIII.

Hoc tempore fuit episcopus XI[us] Alexandriae Iulianus; et Antiochiae episcopus IX[us] Serapion.

Severus regnavit Romae annos XVIII.

Hoc tempore fuit episcopus XII[us] Alexandriae Demetrius, 30 annos XLIII; et episcopus XII[us] fuit Romae, Victor. Is adfuit in Palaestina die paschatis.

Hoc tempore Clemens presbyter alexandrinus, et Pantaenus[3] philosophus, in nostra doctrina clari erant.

Hoc tempore fuit persecutio in christianos, et martyrium 35 fecerunt Leonidas, pater Origenis, et Alexander presbyter.

[1] Gallice « peste bubonique ». — [2] Ex Eusebio emenda: « Oppianus cilix poeta qui halieuticam scripsit ». — [3] Ms.: PNTWS.

Et anno 9° Severi imperatoris fuit quaestio inter episcopos propter decimamquartam Iudaeorum. Hoc tempore fuit episcopus XIII^us Romae Zephyrinus. Hoc tempore fuit episcopus X^us Antiochiae Asclepiades; [XI^us Philippus][1].

* p. 136. Hoc tempore * factus est census Romae et inventae sunt hominum myriades CCC.

Antoninus alter regnavit (Romae) annos septem. Hoc tempore notus fuit Manes, haereticus; qui venit Alexandriam.

Alexander, filius Mammaeae, regnavit annos XIII.

Hoc tempore declinavit in opinionem Adamantii Origenes[2].

Hoc tempore incepit imperium Persarum; et anno 5° imperii eius *Alexandri* regnare coepit Ardašīr persa.

Ardašīr, filius Pābaq[3], regnavit annos XIII.

Hoc tempore fuit episcopus XIII^us Antiochiae Babylas, martyr; [XIV^us Fabius; XV^us Demetrianus][4].

Et anno 546° Graecorum expulsus est Origenes ab Heracla episcopo, quia in Palaestina aliquid Ecclesiae extraneum docebat.

Hoc tempore factus est Romae census, et inventae sunt hominum myriades CCCL.

Maximianus regnavit annos tres. — Is Maximianus excitavit persecutionem in christianos. Hoc tempore martyrium passi sunt sancti quadraginta martyres Sebastiae in civitate. Martyrium etiam passus est Cyprianus, martyr illustris.

Gallienus regnavit annos XV.

Hoc tempore excitavit persecutionem in Christianos Decius tyrannus crudelis.

Hoc tempore aufugerunt septem pueri Ephesini et obdormiverunt, annuente Domino, annos CCCLXX, usque ad tempus Theodosii imperatoris.

Hoc tempore fuit episcopus XVI^us Antiochiae Paulus samosatenus.

Hoc tempore fuit episcopus XIV^us Romae Xystus.

Et regnavit Aurelius, Romae, annos decem.

Hoc tempore Paulus samosatenus laceravit fidem veram.

[1] In margine. — [2] Sic ms. — [3] Ms.: P a q q. — [4] In marg. additum.

* Et congregata est Antiochiae synodus, quae expulit eum ab ecclesia. Et factus est pro eo episcopus XVII^us Domnus. [XVIII^us Timotheus; XIX^us Cyrillus] [1]. Erat autem praeses synodi Gregorius thaumaturgus, qui tempore suae iuventu-
5 tis discipulus fuerat Origenis. In hac synodo anathematizaverunt impium Manetem.

* p. 137.

Hoc tempore fuit census Romae, et inventae sunt hominum myriades cccc.

Diocletianus regnavit annos viginti, anno 606° Graeco-
10 rum. Anno 3° imperii sui consociavit sibi in imperio Maximianum generum suum.

Hoc tempore martyrium passi sunt sancti numero xii milia, quorum princeps erat Agrippas; et confessores illustres Samonas, Gurias et Habibus, et illustres martyres Sergius et
15 Bacchus.

Anno 9° imperii eius accessit ad imperium Constantinus senior, pater Constantini imperatoris victoris.

Hoc tempore fuit episcopus XXIX^us Romae Marcellus.

Hoc tempore fuit episcopus XX^us Antiochiae Tyrannus.

20 Hoc tempore fuit episcopus XXX^us Romae Silvester. Omnes isti ante Constantinum imperatorem victorem fuerunt.

Diocletianus excitavit persecutionem in christianos. Et anno 19° eius imperii fuit persecutio et eversio ecclesiarum Alexandriae: et martyrium Petrus patriarcha Alexandriae
25 passus est.

A nativitate Salvatoris nostri secundum carnem, usque ad Constantinum seniorem, res saeculares et res ecclesiasticas coniunctim scripsimus. A Constantino et deinceps res saeculares seorsum scribimus et res ecclesiasticas seorsum, in hoc
30 libro, in parte secunda. Qui vult scire negocium ecclesiasticum legat inferius in parte altera * et intelliget, res autem regum omnium in parte hac priore, siquidem, roborante Domino, singulos reges per nomina et tempora descripturi sumus.

* p. 138.

De Constantino seniore patre Constantini fidelis. — Is
35 itaque Constantinus senior visus est misericors erga populum

[1] In marg. additum.

Christianorum, quia erat vir tranquillus et pacificus. Et conversus est ad cultum Dei per Silvestrem episcopum Romae; quem continuo ad se vocabat, et honorabat. Habebat autem filium, qui et ipse Constantinus appellabatur, natum ex Helena imperatrice, et filiam nomine Constantinam. Hanc desponsavit Licinio, quem sibi consociavit in imperio. Et postquam regnavit annos xxvii, in pace defunctus est secundum legem naturae. Superfuit autem in imperio impius Maximianus.

Hoc tempore fuit episcopus XXXIX[us] [Hierosolymorum][1] Hermon.

Regnavit autem in regionibus superioribus Constantinus fidelis, filius Constantini senioris. Maximianus autem Alexandriae et in Aegypto regnabat. Erat autem libidinosus et corruptus praeter naturam, et nullum opus turpe pravumve omisit facere. Etiam in arte magica versabatur; et sumebat mulieres optimatum et cum eis moechabatur.

Hoc tempore factus est census Romae, in urbe regia, et in ea inventae sunt hominum myriades ccccxvi et milia quattuor.

XXII[2]. De initio regni imperatoris fidelis Constantini, filii Constantini senioris; et de eis quae acciderunt diebus eius. — Anno 619° Graecorum, * regnare coepit imperator fidelis Constantinus. In regione autem Britanniae proclamatus est imperator Constantinus loco Constantini senioris, patris eius, qui mitis fuerat in omnibus moribus suis, et se convertit ad cultum Dei ope Silvestris episcopi Romae. Maxentius autem multa mala agebat erga Romanos; eorum uxores stuprabat et multos perdebat et occidebat. His autem auditis, imperator fidelis Constantinus studebat Romanos ab eo liberare et recogitabat quem deum invocaret in auxilium. Et intellexit Diocletiani familiares nihil adiutos fuisse ab idololatria, patrem vero suum, ad Deum conversum, in prosperitate vitam consummavisse.

*p. 139.

De signo quod in speciem crucis apparuit in caelo. — Cum autem in huiusmodi cogitationibus versaretur imperator Con-

[1] In ms.: « Romae ». — [2] Numerus in margine appositus. Primi numeri praetermissi sunt. Fortasse initium habuit series a nativitate Christi.

stantinus, hora aestus diei, vidit in caelo signum lucidum in speciem crucis, et in eo scriptura: In hoc signo vinces inimicos tuos. Et admiratione perculsus surrexit imperator, praecepitque sibi conflari signum in typum crucis, quod usque hodie in palatio regio asservatur. Et hoc signo ante eum procedente, se disposuit ad pugnam cum Maxentio. Et aggressus primum et iterum et tertium castra tyranni ea fortiter expugnaverat. Et venit coepitque loca, secum habens multos viros armatos, et equites innumeros, ex omni loco et civitate in circuitu Romae, qui cupiebant et expectabant liberationem a tyrannide Maxentii; bellum igitur gessit et ingressus est in Italiam. Sed cum pervenisset Romam magnam, nolebat imperator Constantinus eam expugnare, quia misericordia motus erat, ne propter *tyrannum cogeretur adversus Romanos dimicare. *p. 140. Deus autem quasi habenis traxit et eduxit tyrannum ad conserendum proelium cum Constantino ad ripam fluminis quod est iuxta Romam. Dum autem transit fluvium hunc, in quo ipse alligaverat naves et fecerat pontem, laborans in propriam perditionem, et dum transitus viris plenus est subito ruptus est pons et naves in flumine submersae sunt. Plenus viris erat pons, et ipse impius Maxentius submersus est cum magnatibus suis et copiis et militum parte magna. Constantinus autem gavisus et laetatus est propter Romam. Et exierunt obviam ei incolae urbis, et laus victoriae ei ab omnibus tribuebatur, a viris et a mulieribus, a senibus et a pueris, et ab omni populo Romanorum; et dum laudant eum tanquam suum liberatorem et suum benefactorem, Romam ingressus est.

De statua quam ei Romae erexerunt. — Tum iussit imperator ut erigeretur ipsi statua victoriae, *qua fingeretur* manu tenens signum salutis, id est crucem victricem. Et eam erexerunt Romae loco nobili in foro, et scripserunt super eam latine ita: In hoc signo salutari, id est signo virtutis, urbem vestram a iugo tyranni salvavi et liberavi; et etiam senatum populumque Romanorum in gloriam et pristinam claritatem reduxi et restitui. — Erat autem cum imperatore Constantino, in hac pugna adversus Maxentium, etiam Licinius eius gener. Et cum ipse regnaret Romae Constantinus, misit Licinium, generum suum, in Syriam et Orientem: nondum enim ceciderat

in hanc amentiam, in quam postea devenit. Et ipse Constantinus solus autocrator mansit. Aedificavit ecclesias Christi, et edixit ne quis paganorum in suo cultu videretur, et si quis
*p. 141. * in paganismo perseveraret caput eius amputaretur.

Licinius autem, cum venisset Antiochiam, rebellavit adversus imperatorem et excitavit persecutionem in christianos, etiam in omnibus locis sub dominatione sua constitutis. Et ad eum scripsit imperator Constantinus, ut desisteret a tyrannide; sed non obedivit. Cum autem videret eum meditari tyrannidem, bellum adversus eum gessit imperator eumque devicit; et cum eo philanthropia usus, eum Thessalonicam misit; sed postquam aliquod tempus ibi fuerit, coepit cives multum vexare. Cum autem audivisset de aliqua muliere eximii vultus et pulcra persona, uxore cuiusdam praefecti, servos suos misit qui eam ad se vi adducerent. Cum autem venissent et ad eius ianuam starent, et cum indicavissent causam eorum adventus, color vultus mariti eius prae timore mutatus est. Videns autem haec mulier casta maritum suum ob timorem permittere ut eam abducerent et deducerent, cum esset praefectus civitatis, ipsa, quae christiana erat, petiit aliquod tempus et, regressa domum quasi ut se ornaret, ingressa est cubiculum et, arrepto gladio, seipsam percussit, et mortua cadaver suum reliquit eis qui aderant ut eam deducerent. Operibus melius quam verbis demonstravit magis quam omnes possessiones castitatem christianis eligendam esse. — Rursum ei mandavit imperator victor Constantinus ut se averteret a viis suis pravis; et non obedivit, sed mercede conduxit barbaros et rebellavit adversus imperatorem. Audita autem eius rebellione, imperator processit in bellum adversus eum et eum vicit; et cum apprehendisset tyrannum Licinium ei vitam ademit.

De adventu imperatoris in urbem Nicomediam. — Imperatoris autem victoris potestas dilatata est et se extendit usque ad orientales plagas in confinium Persidis. Continuo triumphabat in bellis adversus barbaros, et semper in plagis orientalibus versabatur. Milites autem et duces exercituum * murmurabant ob remotionem locorum et nimiam cunctationem
*p. 142.

bellorumque diuturnitatem, dum domus et familiae eorum in regionibus occidentalibus Hispaniae erant. Imperator ergo venit habitare Nicomediae, in urbe media regione Graeciae posita, et ad littus maris sita.

5 XXIII. De aedificatione urbis Byzantii, quae appellata est Constantinopolis. — Et cum videret imperator Constantinus, Romam, quae est sedes imperii, remotam esse a mediis praefecturis Romanorum, cogitavit aedificare locum aptum ad sedem imperii sui. Et cum vidisset tractum maris in quo situm 10 est Byzantium magnum, ad ripam positum maris inter duos lacus Ponti et Asiae extensi, valde congruum et eximium, cum sit ad transitum ex Occidente in Orientem et teneat omnes fines, meditatus est ibi constituere sedem imperii sui, in hac civitate magna. Et aedificavit eam, et condidit eam, et aedi15 ficiis splendidis et magnificis amplificavit eam. Dicemus autem de prima aedificatione huius urbis gloriosae et famosae, quae hodie urbs regia est.

De pristina conditione et aedificatione Byzantii civitatis. — Cum loca Romanorum plures olim occuparent, ita ut rex 20 quidam Italiam teneret, alius Macedoniam, alius Thraciam, et alii alia loca, regionem Asiae et Thraciae tenebat Byzos rex, et locum munitum quo aedificaret urbem suam regiam optabat invenire. Arcessito artifice perito, misit eum ut circumiret et inveniret locum consilio suo aptum. Is autem artifex, man25 dato * accepto, loca multa peragrabat. Aliquando autem de- * p. 143. fatigatus et taedio captus, seipsum proiecit in terram ut quietem caperet; tulit vero regulam, filum et normam quae secum habebat et ea in pallio rubro involvit posuitque ad latus suum et obdormivit. Aquila autem fame laborans in altis volitando 30 ut inveniret sibi cibum vidit pallium rubrum et putavit esse carnem, et descendit ut illud raperet. Vi autem vehementi flatus, implicatae sunt ungulae eius in pallio et filo. Vir autem excitatus est sonoro flatu alarum aquilae et territus sedit. Ipsa quoque aquila prae suo timore viri sustulit pallium cum 35 omnibus quae in eo erant, et in altum elevata est; sed ob pondus non potuit longius ire, et postquam aliquantulum volitavit se reposuit in terram quodam loco et, ungulis a pallio libera-

tis, illud dimisit et se elevavit. Vir autem cum vidisset locum ubi se posuit aquila, ivit ut pallium suum suaque instrumenta sumeret. Et cum peragravisset et inspexisset hunc locum, invenit eum humanae habitationi aptissimum et desiderio regis congruum, amplitudine, inquam, et munitione naturali loci; 5 nam tribus ex partibus mare illum circumdat, et fontibus aquarum dulcium et suavium abundantissimus est. Tum adiit regem et ei quae acciderant narravit. Rex autem miratus intellexit rem a Deo esse. Et cum profectus esset et locum vidisset, ipso iubente, ibi delineata est civitas, cuius longitudo sit 10 decem milia *pedum*, et latitudo a mari ad mare. Dum autem aedificant eam, priusquam absolveretur rex Byzos mortuus est; et post eum regnavit Antios frater eius. Is absolvit hanc civitatem, et omnino eam complevit. Quapropter de nomine utriusque compositum est nomen ipsius civitatis Byzantium. 15

* p. 144. * De aedificatione et amplificatione *eius* diebus Constantini. — Postquam autem in unam potestatem redacta est Romania, et regnavit in totum imperium Constantinus fidelis, invenit Byzantium locum aptum, plus quam ceteras urbes sui imperii. Tum, ipso iubente, extensa est ad duo milia occidentem versus, ita ut iam sit amplitudo eius duodecim milia. Et eam 20 aedificavit, constituit, ornavit omni decore. Haec autem urbs supra septem colles aedificata est, et inter collem unum et alterum fecit portum navibus, cui imminent duae turres validae, et a turri ad turrem fixa est catena ferrea solida quae 25 prohibet quin naves quae intra portum sunt exeant sine licentia principis, et impedit etiam quin naves inimicorum intus ingrediantur. A tribus partibus circumdat eam mare; e parte autem occidentali stat aridum et etiam murus altus qui procul ab ea aedificatus est, a mari ad mare, et vocatur 30 makron-teichos, id est murus longus. Inter hunc et urbem planities ampla inclusa est. Latitudo autem maris a civitate ad aridum versus orientem et septentrionem est quattuor milibus, eius altitudo autem inexplorata. Postquam vero absoluta et completa est urbs, ei addidit aedificia ingentia et 35 imaginem magnae Romae eam fecit; et vocavit eam Constantinopolim, id est urbem Constantini, et sancivit ut Nova Roma cognominaretur.

Condidit etiam civitatem magnam et illustrem quam de nomine matris suae appellavit Helenopolim; quia et ipsa hoc tempore coronam cinxit et cusit sibi monetam.

Similiter etiam templa magnifica aedificavit in hac urbe (Cpoli), ecclesiam Irenes et alteram Apostolorum nomine. Erectae sunt * etiam in hac urbe statuae et τελέσματα[1] multa quorum maior pars usque hodie servata est. Postquam omnia absoluta sunt, fixit in ea thronum et sedem imperii sui et coacervavit in ea omnes thesauros suos regios; et ordinavit in ea duces exercitus et praefectos locorum; et appellata est civitas regia, usque hodie.

*p. 145.

XXIV. De fratribus Constantini. — Habebat autem imperator fratres duos. Uni nomen erat Dalmatius: is vero habuit filium, quem suo nomine Dalmatium appellavit. Alterius nomen erat Constantius; huic fuerunt duo filii: nomen unius Gallus[2] et nomen alterius Iulianus.

De rebus gestis tempore imperatoris. — Diebus autem huius imperatoris, res multae in ecclesia correctae sunt. Mos erat christianis, a tempore apostolorum ad id tempus, non accipiendi baptismum ante annum tricesimum. Pascha, Nativitas et Hosanna[3] non celebrabantur nisi semel singulis triginta annis. Ieiunium sacrum quadragesimale incipiebant a die Baptismi[4], et ubi solvebatur faciebant oblationem sine festo. Pascha ita supputabant ut cum Iudaeis ageretur, et diem resurrectionis ea die in quam incidebat agebant, sive dominica sive media hebdomada. Et ita res inordinate confundebantur. ⌜Et mox congregavit Constantinus magnus synodum illam CCCXVIII episcoporum, anno 630° Graecorum, propter Arium. Et anathematizarunt Arium et eius doctrinam; et in ea correxerunt omnes res ecclesiasticas, negotium ieiunii et paschatis, et cetera[5].

De fide Indorum. — Quia autem diebus huius imperatoris christianismus in omnes plagas diffusus est, * etiam populi interiores Indorum et Iberorum, ad christianismum accesserunt. Qua de causa hanc vocem « interiores » in sermone meo ad-

*p. 146.

[1] Cf. *Chron. paschale* (*Patr. gr.* XCII, col. 604). — [2] Ms.: Gallius — [3] Solemnitas Palmarum. — [4] I. e. Epiphaniae. — [5] Haec in margine addita.

diderim indicabo. Cum sancti apostoli per sortes dispersionem suam inter gentes statuissent, Thomas apostolatum Parthorum accepit, Matthaeus in regionem Aethiopiae missus est, Bartholomaeo obtigit India quae Aethiopiae regioni confinis est. In India autem interiore habitant populi lingua diversi: et in 5 ea, usque ad tempus Constantini, nemo de fide christiana audivit. Hoc autem tempore, Meropius philosophus Tyro oriundus hanc Indiam interiorem visitare cupivit; duxit secum duos pueros cognatos suos, in rethorica edoctos, et cum eis in Indiam profectus est. Cum autem ibi perambulasset secun- 10 dum suum desiderium, conscendit navem ut rediret in suam patriam. Accidit autem ut solveretur pax inter regna; Indi vero apprehenderunt Romanos qui erant in navi, et omnes occiderunt; nemo ex illis salvatus est praeter duos illos pueros quibus perpecerunt ob adspectum eorum, et quos in mu- 15 nus obtulerunt regi Indiae. Rex valde gavisus est eorum adspectu; et unum, cui nomen Aedesius, fecit pincernam mensae suae, alterum vero, nomine Frumentium, chartularium regni constituit, id est gubernatorem regni. Post breve tempus aegrotavit rex, et in eo fuit ut moreretur; et commisit filium suum 20 parvulum hisce duobus iuvenibus ut invigilarent in eum et regnum eius gubernarent. Et idcirco, postquam mortuus est rex, relictum est regnum Indorum in manibus horum iuvenum. Iam vero solliciti fuerunt ut inquirerent de mercatoribus qui e regione Romanorum confluebant. Eos qui illuc confluebant, 25 diligebant et honorabant. Eos iusserunt etiam sibi oratorium constituere et * publice cultum christianum peragere. Et cum (* p. 147.) id fecissent, pagani etiam multi conveniebant ut viderent res christianorum. Et fide erudiebantur et ad christianismum sine timore se convertebant. Cum autem ad aetatem virilem 30 pervenisset rex ille, ei tradiderunt iuvenes regni regimen et negotia. Is vero, quia a praeceptoribus suis in scientia et sapientia educatus fuerat et res christianismi edoctus erat, mitis et comis erga novos christianos inveniebatur. Petierunt ab eo iuvenes licentiam ut abirent in patriam suam et fami- 35 lias suas visitarent. Rex autem et mater eius eis suadebant ut apud ipsos remanerent; sed cum multum institissent, ipsis concesserunt *ut abirent*. Tunc Aedesius ad urbem Tyrum per-

venit. Frumentius autem Alexandriam adscendit, et cum invenisset magnum Athanasium archiepiscopum, qui recens sedem acceperat, exposuit ei res Indiae et desiderium Indorum accipiendi episcopum qui eos doceret mysterium fidei; et eum
5 rogavit ut ad eos mitteret episcopum et sacerdotes. Athanasius autem coegit Frumentium et eum episcopum consecravit misitque in Indiam. Cum autem ibi pervenisset, rex valde gavisus est, eique opem tulit in aedificandis ecclesiis. Et dilatata est fides in Indiam, et meruit etiam episcopus gratiam miracula
10 faciendi.

De fide Iberorum. — Etiam circa populum Iberorum, qui vicini sunt Euxino Ponto, remoti autem ab Iberis Hispaniae, exponemus quomodo et ipsi hoc tempore fidem christianam receperunt, et ad scientiam accesserunt. Mulier quaedam, quae
15 castis moribus praedita erat, quasi ex divina providentia captiva abducta est inter Iberos. Et cum in hac regione captiva * et ancilla esset, moribus honestis valde clara erat et praxi ieiunii et orationis assidue vacabat. Barbari autem mirabantur opera eius. Accidit autem ut filius regis, puer parvulus
20 aetate, morbo caperetur, et, pro more, ad mulieres mater pueri filium suum per nutricem eius miserat ut sanaretur, si forte ab experientia mulierum remedium congruum inveniret. Postquam autem apud plures circumtulerat puerum nutrix eius, nec ab ulla auxilium invenerat, haec mulier captiva adfuit
25 prope mulieres, tulit puerulum, et nullum terrestre medicamentum adhibuit, quippe quae nullum nosset, sed simplex verbum protulit: Dominus noster, qui multos sanavit, ipse sanet puerum hunc. In ipso verbo infans convaluit. Cum haec mulier id fecisset, res perlata est ad omnes mulieres Barbaro-
30 rum et etiam ad uxorem regis; et mox omnes qui aegrotabant ad ipsam deferebantur. Paulo post ipsa regina aegrotavit et arcessivit captivam illam. Haec autem se excusavit ne veniret. Tunc regina, cum summa humilitate defertur et ad captivam venit. Et cum haec idem verbum ei dixisset quod ad
35 filium eius puerulum dixerat, statim sanata est, et laudans gratias egit mulieri. Captiva autem dixit: Non mea est haec gratia, sed Christi filii Dei, qui est universi factor. Tum eam edocuit ut quotiescumque indigeret hunc Deum invocaret in auxilium

* p. 148.

suum, et eum agnosceret Deum verum. Cum autem rex miraretur celeritatem sanationis et didicisset quis eam sanaverit, misit dona huic mulieri in retributionem sanationis. Haec vero
*p. 149. non accepit, sed *respondit: Habeo divitias quas iam possideo; sed quia Christus est Deus verus, mihi autem honor et 5
merces magna erit quod confitearis hunc Deum meum. Rex autem, cum haec a muliere audivisset, valde mirabatur. Post autem dies, rex progressus venatum in cacumen montis, ubi praeda inveniebatur, pervenerat; orta est procella vehemens, caligo non mediocris et pruina. Iam venatio impossibilis erat, 10
nec via dignoscebatur. In tantis angustis constitutus, rex coepit invocare in auxilium deos quos colebat; et cum nihil profecisset, denique ei in memoriam venit deus captivae, et hunc invocabat ut sit ipsi adiutor. Et statim ac id fecerit procella caliginosa penitus evanuit. Et cum domum venisset, coepit 15
factum mirari, et narravit uxori suae quidquid acciderat. Et statim arcessivit captivam et quaesivit ab ea quemnam Deum coleret. Haec autem, cum in conspectum eius venisset, id effecit ut rex Iberorum praeco *fidei* exstiteret. Et cum ipse iam credidisset in Christum, congregavit omnes Iberos; narravit eis 20
sanationem filii sui et uxoris suae, et recitavit eis quid ipsi acciderat in venatione; et ipse factus est praeco virorum, uxor autem eius mulierum. Et cum a captiva didicisset formam ecclesiae, iussit ut essent templa et ecclesiae in locum orationis. Et plurimi *fidem* acceperunt. Et petitionem miserunt ad Con- 25
stantinum imperatorem, ut sint subiecti imperio Romanorum; et postularunt episcopum et clericos, nam vere crediderant in Christum.

De incolis Ba'albek. — Quis ab initio fuerit legislator huius
*p. 150. urbis Ba'albek, ignoro, * aut qua consuetudine ad tantum opus 30
malum devenerint. Ut enim eorum uxores sint communes lex ipsorum iubebat. Et idcirco dubium erat cuiusnam qui nascebatur sit filius; patrum enim aut liberorum nulla erat distinctio; filias eorum virgines peregrinis iter facientibus tradebant ut constuprarent eas. Hanc pravam consuetudinem delere stu- 35
duit imperator Constantinus, et per honestam legem eripuit eos et filias eorum a lascivia, et effecit ut seipsas cognoscerent familiae. Et evertit templa pagana quae ibi erant, et fanum

quod in monte Libano Aphroditae sacratum erat, et mensas cibi sordidas quae ibi erant demolitus est. In Cilicia autem templa plurima a fundamentis evertit; et ubique templa pagana diruit, et in eorum locis ecclesias aedificavit. Oratoria autem 5 ipsorum paganorum penitus evertit.

XXV. De Helena imperatrice, et de inventione crucis[1]. — Helena mater imperatoris Constantini, cuius nomine imperator pagum qui vocabatur Drepana[2] instauravit et appellavit Helenopolim, visionem habuit in somnio de sancta cruce, et 10 ivit Ierusalem. Et cum invenisset antiquam Ierusalem desertam, summo studio et sollicitudine indagavit; nam, protracto tempore, per quosdam menses Ierusalem mansit, et omni modo quaerebat locum sepulcri Christi. In locum autem sancti sepulcri, ut deleretur eius memoria, coacervaverant Iudaei terram 15 multam, ita ut monticulus factus esset locus ille; et supra illum ara aedificata fuit, et super eam imposita est statua * Aphroditae. Cum rem istam imperatrici notam fecissent, deiecit statuam, alte fodit et denudavit locum sanctum, et tunc apparuit sepulcrum. Et invenit in eo tres cruces: unam beatissi- 20 mam, in quam extensus est Christus, et duas alias latronum qui cum eo crucifixi sunt. Inventa est etiam tabula illa, cui inscriptio a Pilato imposita fuit, quae Christum regem Iudaeorum praedicabat. Imperatrix autem valde contristata erat quod nesciret quae ex illis esset crux Domini nostri. Et vocavit 25 episcopum qui tunc erat Ierusalem, Macarium nomine. Cum autem venisset cum eo disquisivit de cruce. Episcopus autem in divina crucis virtute confidebat. Hierosolymis mulier quaedam erat quae morbo laborabat et iam in eo erat ut moreretur. Hanc adduxit in medium, et admovit eique imposuit duas cru- 30 ces, unam post alteram; et cum duae istae cruces ei admotae essent, nihil inde adiuta est; sed iam ut emitteret spiritum prope erat et torquebatur. Postea, cum admota fuerit tertia crux, quae erat crux dominica, statim rediit ad vitam, sanata est atque roborata. Quod cum vidisset imperatrix gavisa est

* p. 151.

[1] In margine: Facta est inventio crucis anno 19o imperii Constantini imperatoris, annis elapsis CCXCV ab ascensione Domini nostri in caelum, anno 636o *Graecorum*. — [2] Cod.: R d u p n a.

gaudio magno, et aedificavit magnum templum supra sanctum sepulcrum. Et etiam urbem antiquam instauraverat in honorem sepulcri. Crucem autem sanctam divisit in duas partes: unam partem in theca argentea deposuit, et in templo quod aedificaverat reliquit, ut sit memoriale eis qui vellent videre crucem salutarem; partem vero alteram imperatori misit. Et cum illam suscepisset imperator, cum honore et pompa magna, deposuit eam in statua quae in urbe * regia stat supra columnam purpuream. Clavos autem inventos in sepulcro, qui infixi fuerant manibus Christi, imperatori misit, et in freno equi imperatoris conflati sunt. Aedificavit autem imperatrix et decoravit templum magnificum etiam Bethleem, ubi natus est Christus, et etiam in monte Olivarum, ubi fuit adscensio eius. Et ita, absolutis annis octoginta, defuncta est Helena imperatrix et funere peracto Hierosolymis, translatum est corpus eius in urbem regiam.

* p. 152.

XXVI. De morbo imperatoris et de testamento quod fecit. — Post haec morbo captus est imperator, et conscensa navi profectus est ut lavaret aquis calidis prope Helenopolim [1]; et venit Nicomediam, et ibi testamentum fecit. Hoc testamento imperii sui haeredes constituit tres suos filios; quibus iam vivens diviserat imperium. Quia vero non aderant filii eius, testamentum tradidit sacerdoti illi cuius ope Arius ab exilio reversus erat, de quo scripsimus in libro ecclesiastico quem fecimus, eique mandavit ne illud cuiquam traderet, nisi filio suo Constantio, quem instituerat in imperium Orientis. Et hoc morbo accedit consummatio eius vitae.

Diebus eius orta est haeresis nefanda Arii.

Diebus huius imperatoris et eius sollicitudine pro fide, convenerunt CCCXVIII Patres in urbem Nicaeam, et omnia negotia ecclesiastica correxerunt.

Eius diebus illustres erant sancti patres Caelestinus Romae, et Athanasius Alexandriae.

De his omnibus fuse scripsimus, pro posse nostro debili, inter res ecclesiasticas, in libro historiae ecclesiasticae quem fecimus; qui vult discere, ibi legat.

[1] Ms.: LNPLIS.

XXVII. * De filiis imperatoris; de eius baptismo et morte. De ruina urbis Nicomediae. — Nati sunt Constantino tres filii et una filia: nomen primi, Constantinus, nomen secundi Constantius; nomen minimi, Constans; et nomen filiae Constantina: omnes de nomine patris sui *appellati*. Ipse autem Constantinus, tres filios suos Caesares fecit. Primum, qui cognomine sui nominis Constantinus vocabatur, in regionem Occidentis constituit, et secundum, qui nomine eius avi Constantius appellabatur, super regionem Orientis; tertium vero, nomine Constantem, anno trigesimo sui imperii Caesarem renuntiavit. Ita tres suos filios Caesares renuntiavit et regnare fecit in omne imperium Graecorum.

* p. 153.

Hoc tempore fuit terrae motus vehemens, et in eo devastata est civitas Nicomedia, quae penitus corruit. De ipsa composuit plures tractatus doctor Mar Ephremus, qui tunc Nisibi habitabat, apud beatum Mar Iacobum episcopum huius Nisibis ad fines, et cum magistro suo ad synodum CCCXVIII *patrum* adscenderat.

Cum autem esset imperator natus annos sexaginta quinque, incidit in morbum, et aggravatus est dolor eius; et baptizatus est Nicomediae, in civitate, et tres filios suos haeredes constituit.

Hoc tempore regnabat in Perside rex Sapor qui adscendit et castra metatus est adversus Nisibin, eamque obsedit LXV diebus. Et cum non potuisset eam expugnare, totam Mesopotamiam populatus est et vastavit, anno 649° Graecorum; et etiam se accinxit ut in regionem Occidentis veniret.

Et postquam regnavit imperator Constantinus annos XXXI et menses octo, migravit ad Dominum suum; et sepultus est in ecclesia Apostolorum, in urbe regia, nullo filiorum eius adstante; * et depositus est in theca aurea et delatus est Nicomediam in urbem regiam. Postea ex Oriente venit filius eius Constantius [1] et rursum funus eius cum honore et pompa celebravit.

* p. 154.

Post mortem Constantini occisus est Dalmatius filius fratris eius. Gallum [2] et Iulianum, filios alterius fratris eius, aetas tenera liberavit a morte. Gallus ivit Ephesum, ubi erant pos-

[1] Ms.: Constantinus. — [2] Ms.: Gallium (ubique).

sessiones eorum; Iulianus natus octo annos, disciplinam discebat Constantinopoli; postea ivit Nicomediam et ibi didicit rhetoricam. Et cum timeret mortem ab imperatore, abscindit comam suam et factus est monachus, sed philosophiam secreto discebat. 5

XXVIII. Imperium filiorum Constantini imperatoris victoris. — Anno 650° Graecorum, regnavit Constantinus, filius primogenitus Constantini imperatoris victoris; et postquam imperium rexit spatium quattuor annorum occisus est. Is adhaesit menti Arii haeretici. Et regnavit frater eius Constan- 10 tius Romae et in totam regionem maritimam; et regnavit frater eius alter Constans in totam regionem Orientis. Imperator autem Constantius, cum regnaret Romae, creavit Gallum, filium patrui sui Caesarem; qui post tempus rebellavit in imperatorem et occisus est. Voluit imperator etiam Iulianum, fratrem 15 Galli, occidere; sed instantia imperatricis dimissus est. Et post annum mortuus est Constans, et totum imperium Constantio relictum est. Is cum regnaret in universam ditionem Romanorum et venisset ad urbem regiam, arcessivit Iulianum Athenis et eum creavit Caesarem; ei dedit uxorem Constan- 20 tinam sororem suam, quae, postquam breve tempus mansit cum eo, defuncta est: illa autem sententiam orthodoxam tenebat.

* p. 155. Iulianus igitur filius erat patrui * Constantis et Constantii, filiorum Constantini imperatoris victoris; missus autem Iulia- 25 nus in bellum adversus Barbaros, vicit et pugnis multis se illustravit.

Hoc tempore obsedit rex Sapor Nisibin, et instituit adversus eam pugnam validam; imperator autem in auxilium civitati venire cunctatus est. Postquam vero pressit eam *Sapor* diebus 30 LXXVIII, missa est in eos pluvia vehemens et morbus in eos incidit. Et sic cum dedecore reversi sunt.

Hoc tempore, in Mesopotamia, aedificavit imperator Tellam-Mauzelat, quae vocatur Antipolis. Aedificata est autem anno 668°. Aedificavit quoque Amidam civitatem, anno 668°[1]. 35

[1] In marg. nota recens arabice scripta: Aedificata est Amida anno 668 Graecorum, et eo anno aedificata est Singar, et Tella-Mauzelat, et Azath; et eo aedificata est Veranshahr.

Iulianus autem postquam devicit Barbaros coepit meditari rebellionem. Et deridebat imperatorem Constantium [1]. Et coepit aperire templa idolorum paganorum, et ad bellum adversus imperatorem se disposuit. Paratus est imperator Constan- 5 tius ut procederet obviam ei eumque destrueret, sed cum venisset in Thraciam, incidit in morbum et mortuus est, postquam regnavit annos XXIV.

Hoc tempore, noti erant in ecclesia Athanasius confessor probatus Alexandriae, et Meletius Antiochiae, et Basilius Cap- 10 padociae, et Gregorius theologus, et Mar Ephremus in monte edesseno; et etiam fautores mali et haeresiarchae: Manes, qui abiit in Orientem, et Marcio, et Diodorus, et Theodorus Mopsuestiae, et Nestorius, et Bardesanes. Et ecce scripsimus de his omnibus in libro historiarum ecclesiasticarum quem fecimus.

15 XXIX. Imperium Iuliani apostatae, imperatoris pagani. — Anno 670° Graecorum regnavit Iulianus apostata (Pārābītōs). Exaltatus victoria * in Barbaros, venit Romam, et inde Constantinopolim. Is se magnanimum praebuit erga Romanos, ut ostenderet Constantium [2] malum et crudelem; et occidit Euse- 20 bium principem eunuchorum, et omnes eunuchos e palatio expulit, pariter etiam coquos et eduliorum fabricatores, simplicitatis mensae praetextu. Etiam camelos, asinos, mulos reiecit e ministerio regio, et solos equos reliquit. Is quoque aperuit fana idolorum et statuas erexit, et vi reduxit Romanos ad 25 idololatriam, multaque mala christianis inflixit. Martyres multi diebus eius martyrium fecerunt: inter quos martyr illustris Mar Theodorus. Erat autem dux exercitus et princeps in urbe Euchaita [3], diebus Constantini et filiorum eius; sed cum regnaret Iulianus, huius diebus martyrium fecit. Rursum, diebus 30 eius solitarii, monachi, et christiani e suis domiciliis in terram Persarum aufugerunt ut vitarent eius malitiam.

* p. 156.

Hoc tempore fugit Mar Matthaeus, cum discipulis suis e regione Amidae et venit in montem Elpheph, prope Atūr et Niniven. Hoc tempore etiam martyrium passi sunt Mar Beh-

[1] Ms.: Constantem. — [2] Ms.: Constantinum. — [3] Sic interpretandum; cf. Acta huius martyris (Bedjan, t. VI, p. 500).

nam, martyr illustris, et soror eius Sara, ab ipso patre eorum Sennacherib, rege Atūr.

Cum autem Constantinopolim venisset Iulianus, consilium cepit descendendi cum Persis pugnaturus; et cum incederet, mandavit sancto Basilio episcopo Caesareae, petens ab eo mille libras auri. Visum est autem congruum ut epistulam tyranni ad sanctum Basilium hic exscriberemus, et praesertim responsum ipsius sancti ad tyrannum. Iulianus erat vir eruditus in disciplinis et versatus in philosophia; cum sanctis Basilio * et Gregorio Athenis, cum essent iuvenes, in eadem schola edoctus fuerat. Quapropter etiam mutua familiaritate sermonis utebantur, et inde ne suo tempore eis malefaceret, retentus est Iulianus, quippe qui multos episcopos perdidit et perire fecit, dum multi alii fugerunt et latuerunt.

*p. 157.

XXX. Exemplar epistulae Iuliani[1]. — Lenitatem mihi a pueritio insitam et philanthropiam hactenus proferro et erga te manifesto. Subditos accepi omnes sub caelo degentes. Ecce enim omnes nationes Barbarorum usque ad mare Oceanum, munera cum donis mihi afferunt, et ad pedes meos cum viatico veniunt. Similiter et Sagadares qui ad Danubium multiplicati sunt, ii puri, pulchri, multiformes[2], qui non habent adspectum humano adspectui similem, sed speciem efferatam, ii nunc volvuntur in vestigiis meis, quae meo imperio congruunt se facturos pollicentes. Neque huc dumtaxat feror, sed paratus sum cum maxima celeritate in Persidem venire et devincere Sancheribum[3], qui nepos est Darii, donec vectigalis et subditus mihi fiat; simul etiam arces Indorum et Saracenorum devastare, donec omnes isti in ordine secundo imperii mei reducantur et vectigales mihi subditi sint. Ast tu supra omnes istos sapis, pietate te indutum esse dictitans, sed impudentiam proferens, et * ubique divulgans me indignum esse imperio Romanorum. Num ignoras me nepotem esse Constantini poten-

*p. 158.

[1] Textus inter opera Basilii (*Patr. Gr.*, t. XXXII, col. 341). — [2] Graece: εὐμορφοποικιλοκαθαρομορφοί. — [3] In graeco: Saporem. Ad nomen in margine cod. nostri adnotatum est: Is Sennacherib erat e progenie Darii regis Alexandro coaevi. Huius principis filius est sanctus Mar Behnam. In Assyria tunc habitabat, et rex magnus Sapor in Perside inferiori.

tis? Cum haec de te nobis apprime nota sint, non tamen a pristina affectione, quam cum iuvenes essemus concepimus, discedo. Sed placido animo edico ut mille librae auri a te mihi mittantur, quando transibo iuxta urbem Caesaream; adhuc
5 in itinere sum, citissime transitum in Persidem faciens; paratus quidem sum nisi id feceris omnia in urbe Caesarea destruere et aedificia pulcra antiqua evertere. Templa autem ubique erigam idolis, ita ut omnes morem gerant imperio Romanorum, nec rebellent. Memoratum itaque aurum, postquam sup-
10 putaveris et libra stateraque perpenderis ac numeraveris tuto mihi mitte, si tibi videtur, per virum familiarem tuum et tibi fidum, cum obsignavisses annulo tuo; ut cum denique cognoverim te nullam moram fecisse, lenis sim erga te in delictis a te commissis.

15 Exemplar epistulae sancti Basilii. Responsio ad epistulam Iuliani[1]: — Exigua sunt tua bona et praeclare gesta in praesenti necessitate, inania autem quae summis viribus nisus es in nos, aut potius non in nos, sed in temetipsum. Ego vero tremore captus sum propter te, quando mente mea revolvo te pur-
20 pura indutum esse, quae est imperialis consecratio, et corona caput tuum indecorum redimitum esse, quae sine pietate non honoratum sed inhonestum * regnum tuum facit. Sed postquam rediisti et supra modum elevatus es, quando quidem daemones perversi et virtutum hostes te in hoc pertraxerunt, coepisti non
25 solum supra omnem naturam humanam, sed etiam supra Deum extolli, et supra ecclesiam omnium nostrorum matrem et nutricem. Initio quidem erga me iniuria usus es, *significans* ut mille librae auri a me tibi mittantur. Pondus quidem auri animum meum non perculit, etiam si magnum est; sed ut amare
30 flerem me induxisti, ob perniciem tuam celerem. Mecum enim considero, me et tuam honestatem simul litteras optimas et sacras didicisse, simulque studuisse libris sacris a Deo inspiratis. Tunc nihil te latuit; nunc vero indecorus factus es, cum animus tuus adeo corruptus est. Noveras nos nudiustertius, o
35 serenissime, divitiarum ubertate non frui; nunc autem mille libras auri a me petivisti. Parcere itaque nobis velis, serenis-

* p. 159.

[1] *Patr. gr.* t. XXXII, col. 343.

sime, qui tantum possidemus quantum si hodie comedere voluerimus nobis non sufficiet. Cessavit enim apud nos, ut ita dicam, ars coquorum; culter noster sanguinem non attingit; cibi autem nostri quibus abundamus sunt herbarum folia, cum pane mucido et vino ascescente, ne delectarentur sensus nostri, 5 et ab ingluvie in vesania versaremur.

Hoc etiam mihi dixit spectabilis Lausius tribunus, qui tibi maxime sincerus *minister* est in rebus urgentibus, mulierem quamdam coram tua serenitate querelam movisse ob interitum filii sui veneficio sublati; et itaque a vobis esse decretum: nus- 10 quam esse veneficos; qui autem sint occidendos, et tantum illos in vita servandos qui cum bestiis pugnent. Et hoc quod a vobis recte iudicatum est * mirum mihi visum est. Ridiculum *p. 160. enim est quod dolores vulnerum magnos parvis remediis sanare contendas. Dum enim Deum iniuria afficis, frustra viduarum 15 curam geris. Illud quidem stultum est et periculi plenum; hoc autem summae misericordiae et miserationis. Grave est nobis, qui privati sumus, imperatorem alloqui; gravius autem tibi videbitur apud Deum causam dicere: nullus enim mediator Dei et hominum erit. 20

XXXI. De familia Iuliani et de eius rebellione. Quomodo accessit ad imperium et declinavit ad paganismum — Rex itaque Constantius in finibus Ciliciae absolvit vitam suam tertia *die mensis* tešrīn posterioris. Regnavit autem post eum Iulianus, ut supra ostendimus. Sed quia non fuse locuti sumus 25 de isto viro, hic *nonnulla* addimus secundum chronographiam Socratis qui de illo scripsit in capite primo libri III, et ita dicit: Sed quia de Iuliano imperatore, viro diserto, pauca dicere nobis consilium est, nemo ex familiaribus eius requirat a nobis ordinationem et sublimitatem sermonis, existimans incongruum 30 esse ut sermo noster non magnitudini eius de quo loquimur respondeat; historia enim nostra ad rem christianam spectat, quapropter decet ut brevior sit sermo noster. Attamen loquemur de isto viro et de eius genere, de eius rebellione et de eius imperio, paullo altius sermonem repetentes. Constantinus ergo impe- 35 rator, qui Byzantium de nomine suo appellavit, duos fratres habuit, ut antea exposuimus, alterum e patre sed non e matre; nomen unius Dalmatius, alterius autem Constantius. Dal-

matio fuit filius quem suo nomine Dalmatium appellavit. Constantius autem genuit duos filios: Gallum[1] et Iulianum; post autem mortem * Constantini imperatoris, occiderunt milites Dalmatium iuvenem. Tunc parum abfuit quin duo fratres illi, qui orbati erant patre suo, in periculum inciderent: sed morbus, in quo aderat spes mortis, salvavit Gallum, Iulianum vero teneritas aetatis liberavit; erat enim natus octo annos. Cum autem placata esset ira imperatoris adversus eos, Gallus ivit Ephesum, ibi multas possessiones ab avo eorum habebant, et ibi litteraturam didicit. Iulianus autem Constantinopoli educabatur, disciplinam a viris doctis qui ibi erant discebat, et vestitu simplici utebatur. De eo curam habebat Mardonius eunuchus; eum grammaticam docebat Nicolaus[2], et in rhetorica dirigebatur ab Ecebolio sophista, qui tunc erat christianus. Cum autem profecisset in humanioribus litteris, fama in populo spargi coepit ipsum idoneum esse ut res Romanorum dirigeret. Et id imperatori perturbationem afferebat. Idcirco iussit imperator eum proficisci in civitatem Nicomediam. Ibi autem erat sophista Libanius, e Syria oriundus, qui paganus erat. Interdictum erat Iuliano eum adire: attamen eius orationes omnes secreto collegit. Eo autem tempore Nicomediam venit Maximus philosophus, qui non aliam ob causam venit quam videndi Iuliani; is cum apud illum assiduus esset philosophiam ediscebat; ille etiam ei desiderium imperii iniecit. Quia vero haec omnia ad aures imperatoris pervenerant, voluit Iulianus a suspicione se liberare: tunc simulator factus est, comam suam totondit, regulae se adstrinxit et mores * monachorum imitabatur. Secreto rebus philosophiae operam dabat, aperte vero libros sacros christianorum legebat. Lector etiam factus est in ecclesia Nicomediae. Et hoc modo impetum irae imperatoris cohibuit. Et dum haec metu agebat, a spe sua non destitebat; pluribus enim ex familiaribus suis dicebat prospera fore tempora si ipse autocrator foret. Cum autem res ita se haberent, Gallus eius frater ab imperatore Caesar renuntiatus est, et transiens in Orientem, Nicomediam ut fratrem suum visitaret venit. Post autem aliquod tempus occisus est Gallus,

* p. 161. — * p. 162.

[1] Ms.: Galienum; et sic infra. — [2] Socr.: Nicocles.

et misit imperator edictum ut Iulianus custodiae mandaretur. Cum in custodia esset, post tempus custodes effugit, errabundus de loco in locum. Cum notus esset Athenis, precibus suis obtinuit imperatrix ut Athenis remanere possit, philosophiae addictus. Post quoddam tempus, suadente imperatrice, arcessivit eum imperator in urbem regiam, et Constantinam[1] sororem suam ei dedit uxorem eumque Caesarem creavit, et misit in Gallias adversus Barbaros. Sed quia Iulianus iunior erat vetuit imperator ne quid absque consilio ducum exercituum ageret. Qui vero auctoritatem acceperant segnius se gerebant, et idcirco Barbari praevalebant. Iulianus autem sinebat duces exercitus in deliciis versari, milites vero incitabat. Mercedem certam promittebat et donum ei qui Barbaros occidisset aut ab eis occideretur. Inde coeperunt Barbari minui, et Iulianus carus evasit militibus.

Iulianus autem relationem misit ad imperatorem, duces exercituum ob segnitiem carpens. Cum epistulam accepisset imperator, misit alium ducem qui consilium Iuliani exsequeretur et confidenter cum Barbaris decertaret. * p. 163. * Ipsius voluntatem explebat dux qui missus erat. Miserunt autem Barbari legatos Iuliano dicentes: Epistulas imperatoris eis mandare ut in terram Romanorum venirent. Iulianus autem postquam legatos in vinculis coniecit, cum Barbaris strenue dimicavit, regem Barbarorum captivum abduxit et eum Constantio misit. Et cum his illustris factus esset palam proclamabatur imperator a militibus, et cum corona regia deesset, unus e militibus torquem quem collo gerebat tulit et imposuit capiti eius[2]. Et hoc modo regnum auspicatus est Iulianus. Quae hinc et deinceps *gessit* philosophorum est examinare qui audiunt[3]. Etenim cum Constantium ne per legatos quidem placavisset, omnia pro libitu suo gerebat: iudices et praefectos in omnibus provinciis mutabat, deridebat Constantium, eius epistulas ad Barbaros legens in omnibus civitatibus. Idcirco omnis populus ad

[1] Lege cum Socrate: Helenam. — [2] In marg., secunda manu: Sunt qui dicant forum cuiusdam civitatis Iuliano *subditae* ornamentis aureis et coronis decoratum fuisse; et cum transiret Iulianus corona decidit in caput eius. Qui autem aderant id narraverunt. — [3] Locus corruptus.

ipsum se vertebat et a Constantio declinabant. Tunc simulationem christianismi aperte dimisit. Quando autem per civitates transibat, templa aperiebat et sacrificia idolis offerebat, se ipsum summum pontificem appellabat; pagani 5 festa paganismi celebrabant. Iam bellum civile excitabat et paratus erat adversus Constantium decertare; ipsum accusans quasi causa fuerit omnium malorum. Deus autem, qui arbiter est cogitationum, contentionem diremit, sine detrimento. Cum Iulianus perveniret in Thraciam * nuntium allatum est, regem * p. 164. 10 Constantium requievisse, et sic a bello civili liberatum est imperium Romanorum. Cum autem Constantinopolim ingressus esset Iulianus, secum recogitabat quo modo ad se populum allicere posset plurimorumque concordiam et affectionem captare. Et huiusmodi astutia usus est: episcopos quos in exilium 15 eiecerat Constantius revocavit, et bona eorum quae direpta fuerant e fisco restituta sunt. Paganis autem quibus interdictum fuit palam sacrificare, complere sua desideria permisit. Alios deludebat, aliis benefaciebat, vanae gloriae cupidus.

Eusebium eunuchum et cubicularium imperatoris vita pri- 20 vavit; non autem quod multos iniuriis oppresserat, eum occidit, sed quia Gallum suum fratrem per eius calumniam interemptum esse didicerat. Corpus autem Constantii honorifice sepelivit et in urbem regiam retulit. E regia domo eiecit eunuchos, tonsores et coquos; eunuchos, quia eiecerat[1] uxorem suam, 25 post quam aliam non sumpsit; coquos, quia cibo simplici utebatur; tonsores autem, quia, aiabat, unus pluribus satis est. Sustulit etiam publicum cursum, qui inserviebat publicis necessitatibus, id est mulos et boves; equos tantum reliquit. Haec autem eius acta pauci quidem laudabant, multi vero vitupera- 30 bant. Non id tantum faciebat, sed noctu vigilabat et orationes scribebat, et coram senatu de eis gloriabatur. Honorabat eos qui disciplinis vacant, praesertim eos qui philosophiae addicti erant. Idcirco undique adducebat ad palatium eos qui pallio vestiti erant, et multi * propter vestem potius quam propter * p. 165. 35 disciplinam honorem accipiebant. Et quia in eo dominabatur vana gloria, omnes imperatores decessores suos in oratione quam

[1] Sic vertendum, non « eiecerant ».

fecit ludibrio habuit. Etiam librum alium scripsit adversus christianismum.

Quod voluit oraculum sumere, et non ei respondit daemon. — Postquam igitur iussit fana Antiochiae aperiri, cum venisset ipse Antiochiam, dum descensum facit in Orientem, studiosus erat accipiendi oraculum ab Apolline Daphnaeo. Daemon autem qui habitabat in hoc fano, cum timeret Babylam martyrem, qui vicinus erat, non responsum dedit. Erat enim in proximo arca in qua corpus martyris reponebatur. Cognita autem causa, iussit imperator arcam citius inde auferri: et quidem gaudentes et psallentes Christiani, arcam deferentes, eam Daphne in civitatem adduxerunt. Psalmi eorum deos paganorum perstringebant.

XXXII. De eius expeditione in regionem Persarum, et de eius morte. — Paratus est ingredi in Persidem antequam transeat hiems. Compererat enim populos Persas debiliores et infirmiores esse tempore hiberno, quia frigus sustinere non valent nec possunt hac tempestate pugnam committere; sed, ut ait proverbium: ne manum quidem extra pallium profert vir Medus. Permisit exercitibus ut vastarent et coeperunt depraedari quocumque perveniebant. Ecclesiae tamen et templa curis viri fidelis, ducis exercitus, Ioviniani nomine, evaserunt a ruina. Etiam Edessa civitas fide ditissima salvata est mediatione huius ducis exercitus: nam multa mala ei imminebant eo quod contempsit illum *imperatorem* et scripta eius despexit. Et cum pervenisset Seleuciam et Ctesiphontem urbes regias Persarum, instituit in eas pugnam arduam easque cepit. Rex autem * Persarum misit ad eum de pace *tractanda,* promittens dare ei partem regionum Persarum; sed non consensit imperator; fidem enim dabat auguriis quae Maximus philosophus qui cum eo pergebat ei recitabat; et sperabat in aberratione cordis sui se gloriam Alexandri conquisiturum, immo hunc longe superaturum. Et ideo non admisit legatos Persarum. Opinabatur enim, iuxta sententiam Pythagorae et Platonis, animam Alexandri in ipsum migravisse, et ipsum esse Alexandrum in alio corpore sibi inepte finxit. Cum autem animadverteret rex Persarum petitionem suam non acceptam fuisse, et in angustiam redactus esset, die postero quam rever-

* p. 166.

si sunt legati congregavit omnem exercitum gentis suae et praelium commisit cum Romanis. Coeperunt autem exercitus romani vituperare Iulianum, quod cum lucro noluisset a praelio abstinere. Et, conserta pugna, ipse Iulianus imperator circumibat et, equo sedens, animum addebat militibus, ne armis quidem indutus, quia confidebat in spe fortunae suae. Et ecce subito, telum ex occulto in eum venit, quod, perforato brachio, penetravit in latere eius. Et ex equo decidit, et hoc vulnere deleta est eius vita. Ignoratur quis eum percussit. Alii dicunt a Persis qui ad Romanos venerant et cum eis stabant percussum fuisse; alii dixerunt quemdam e Romanis qui eum comitabantur eum percussisse, et haec fama constantior est. Veritas tamen facti ignoratur. Et sic fuit finis eius. Adductum est autem corpus eius; et sepultum fuit Tarsi in Cilicia.

XXXIII. Imperium Ioviniani. — Postquam igitur occisus est Iulianus, Iovinianus dux exercitus imperator proclamatus est. Scientia et sapientia pacem composuit cum Persis, et exercitus Romanorum e Perside reduxit. Tradidit quidem Nisibin Persis pro * pace, tempore definito. Et cum vellet Iovinianus manifestare se esse christianum, recusavit imperium dicens: Non possum fieri imperator et dux populi pagani, cum ego sim christianus. Illi vero omnes unanimiter clamaverunt: Quicumque non adhaeret christianismo pereat! Et sic regnare coepit. Et rursum christianismus expansus est, et deletus est paganismus. Regnavit autem annum. Sed ad urbem regiam non pervenit, in itinere mortuus.

* p. 167.

XXXIV. De imperio Valentini[1] eiusque fratris et filii eius. — Postquam autem mortuus est Iovinianus Nicaeae in urbe Bithyniae, milites sibi constituerunt imperatorem Valentinum, qui erat genere Pannonius[2], ex urbe Cibali oriundus, virum robustum; Iovinianus enim non habebat filios.

Ex quo autem sedem imperii constituit Constantinus urbem novam quam condidit, quae est Byzantium, omnes imperatores qui regnabant in urbe regia, si non adesset frater aut propinquus, assumebant sibi socium quem volebant, et unus regnabat Romae et super Hispanos totumque Occidentem, al-

[1] Sic ubique, pro: Valentiniano. — [2] Ms. male: « ex Punica ».

ter vero Constantinopoli et regebat Orientem, quemadmodum ostensuri sumus, auxiliante Domino. Idcirco assumpsit sibi socium Valentinus fratrem suum Valentem, qui baptizatus fuerat apud Arianos ab Eudoxio episcopo. Is multa mala inflixit orthodoxis. Et eius gesta scripsimus in libro historiarum ecclesiasticarum. Filium autem suum Gratianum Augustum Caesarem renuntiavit, et etiam Valentem fratrem suum misit in Orientem. Valentinus autem habebat duas uxores: unam cui nomen Severina, matrem Gratiani, et alteram Iustinam matrem * Valentiniani[1]. Et ideo promulgavit legem: licitum esse christiano viro ut duas uxores sumat. Post tempus, natus annos LXXXIV[2], processit ad bellum adversus populum Sarmatarum. Et cum in pugna seipsum urgeret vociferando, obstructae sunt arteriae, venae apertae sunt et erupit copia sanguinis, et mortuus est postquam regnavit annos XV[3]. Quando autem mortuus est, non aderat filius eius Gratianus, et frater eius Valens Antiochiae commorabatur; exercitus igitur filium eius minorem, Valentinianum[4], imperatorem proclamaverunt, natum annos quattuor, quia aderat huius mater Iustina. Valens autem oraculum accepit, nempe: virum cuius nomen a littera t ē ṭ ā incipiat regnaturum. Et ideo multos quorum nomina a littera t a w[5] incipiebat occidit.

* p. 168.

Is itaque Valens imperator, cum esset christianus, plusquam Iulianus paganus malis affligebat christianos in persecutionibus, caedibus, spoliatione bonorum, quia non adhaerebant haeresi Arianorum. Denique cum profectus esset ad bellum adversus Barbaros, conserto praelio cum eis, devictus est coram eis, aufugit et ingressus est vicum quemdam; eum autem persecuti sunt Barbari, et circumsteterunt vicum. Ingressus autem septum paleae, se ipsum dissimulavit in palea. Barbari vero cum eum non invenissent ignem iniecerunt toti vico, et sic fumo suffocatus est, et habuit exitum pessimum. Versabatur autem Gratianus in bello adversus Gothos. Post annos regni XIV mortuus est Valens.

[1] Cf. Socratem, l. IV, c. XXXI. — [2] Sic ms.; restitue: LIV. — [3] Sic ms.; lege: XIII (Socr.). — [4] Ms. hic: Valentinum. — [5] Littera graeca θ syriacae ܛ respondet.

Regnavit autem in universum imperium Gratianus cum fratre suo non uterino, Valentiniano [1] iuniore. Et post mortem Valentis, assumpsit secum socium imperii Gratianus Theodosium Iberum ex Hispania. Et post tempus dolo occisus est Gratianus; et superfuerunt * in imperio Valentinianus [1] iunior et Theodosius Iberus. * p. 1[illegible]

Hoc tempore, fuit terrae motus Alexandriae, et agitatum est mare, et supra muros proiectae sunt naves et ceciderunt mediis aulis civitatis. Rursum, deseruit mare locum suum consuetum et retrocessit apparuitque arida; et naves iacentes manserunt. Populus vero exivit praedaturus divitias quae in navibus erant; sed reversum est mare in eos et eos cooperuit. Nautae autem narraverunt naves denuo innatavisse cum reversum est mare.

XXXV. De imperio Thedosii, anno 689°. — Regnavit igitur Theodosius Iberus, ut diximus; erat autem vir strenuus et bellorum peritus. Eugenius autem et Arbogastes, duces militum seduxerunt eunuchos imperatoris Valentiniani [1] iunioris, qui strangularunt eum nocte, dum dormit. Et statim rebellavit Eugenius et regnavit in Occidente cum Arbogaste. Theodosius autem imperator, re audita, proclamavit imperatorem filium suum Honorium, et processit adversus rebelles. Et cum iniisset cum eis praelium, coepit exercitus imperatoris deficere. Sed confugit ad orationem et ortus est in faciem rebellium ventus vehemens et procella quae eorum tela in ipsos convertebat. Et victi sunt. Cum vero viderent rebelles ruinam suam propinquam esse, venit Eugenius et ad pedes imperatoris cecidit. Optimates autem absciderunt caput eius, quod decidit ad pedes imperatoris. Arbogastes autem prae afflictione seipsum occidit; et sic mansit solus Theodosius in imperio.

De rebus gestis diebus imperatoris. — Hic Theodosius maior aedificavit urbem Rhesainam et eam Theodosiopolim appellavit. Et adscendit Romam, ibique constituit imperatorem filium suum Honorium.

Hoc tempore, reversi sunt episcopi orthodoxi a Valente expulsi; et restitutae sunt ecclesiae * Edessae Orthodoxis. * p. 170.

Hoc tempore, cum esset Romae, imperator finem imposuit

[1] Ms.: Valentino, et sic infra.

pravis consuetudinibus quae Romae exstabant. Domus amplae erant in hac urbe in quibus panis fiebat qui in urbem deferebatur; in profundo sitae erant, et in eis erant molendina ad conficiendam farinam. Ad latus autem aedium erant popinae cum meretricibus. Omnis autem peregrinus qui illuc ingrediebatur fornicationis causa, apprehendebatur et ibi manebat molis agendis opus daturus usque ad senectutem, et cum vires eius exhaustae essent dimittebatur. Verum, propinqui eius eum defunctum credebant. Cum autem Romam venisset imperator Theodosius, apprehensus est in hoc loco unus e militibus qui militabant cum imperatore; miles autem, stricto pugione, plures occidit et se liberavit. Cum autem rem imperatori denuntiasset iussit imperator, et domos istas, popinas et molendina diruerunt.

Rursum, mulier quae in adulterio deprehendebatur incarcerabant in hoc hospitio meretricum, quod diximus, et vi eam cogebant meretricium exercere usque ad senectutem; et ei appendebant tintinnabula, ita ut transeuntibus per viam notum sit quid ageretur, et omnibus eius ignominia revelaretur. Hunc etiam morem turpem delevit imperator et iussit secundum legem iudicandas esse meretrices et adulteras.

De patribus, tempore huius imperatoris. — Hoc tempore ordinatus est Mar Iohannes pro urbe regia.

Hoc tempore illustres erant in deserto Scetensi et in Aegypto patres monachi: Paulus monachus, et pater Macarius, et alii multi sicut stellae in caelo.

Diebus etiam huius imperatoris orta est haeresis Macedonii, et congregata est in urbe regia synodus CL *patrum,* quae eum anathematizavit. Et ecce iam scripsimus de negotiis istis in libro historiarum ecclesiasticarum.

* p. 171. Vixit imperator Theodosius annos LX; regnavit autem * annos XVI, et defunctus est. Reliquit in imperio duos filios: Arcadium, filium eius seniorem in Oriente, et Honorium in Occidente.

XXXVI. Regnum imperatorum Arcadii et Honorii, filiorum Theodosii. — Postquam defunctus est Theodosius, Arcadius autocrator renuntiatus est in urbe regia. Et aedificavit praetorium magnum. Et natus est ei ex Eudoxia imperatrice fi-

lius quem appellavit Theodosium, nomine sui patris. Suscepit autem eum e baptismate Iohannes, episcopus urbis regiae, cognomine Chrysostomus. Honorius autem Romae regnabat, et caste vivebat: virgo[1] mansit toto vitae suae tempore. Et cum op-
5 time imperium regeret, nihilominus addictus erat abstinentiae, ieiunio assiduo et orationibus fervidis; labore manuum suarum vivebat; nunquam iratus est, nec ullum ad mortem damnavit; et cum ab eo peterent: Cur non statuis mortem in delinquentes? respondebat: Utinam possim etiam mortuos ad vitam reduce-
10 re!

XXXVII. De templo paganorum Apameae, et de daemone nigro qui extinguebat incendium[2]. — Imperatores christiani, etsi idololatriam deleverunt, tamen non everterunt idolorum templa; sed ea in ecclesias convertebant, aperientes sanctua-
15 ria in parte orientali templorum. — Hoc tempore Marcellus, episcopus Apameae, cum vellet templum magnum Iovis destruere et videret illud esse magnum, multiplici ornatu insignitum et firmiter aedificatum, cumque consideraret miram dispositionem lapidum, qui ingentis erant molis, adhaerebant
20 unus alteri, etiam ferro et plumbo colligati et mutuo compaginati, recogitabat quo * medio procuraretur destructio templi * p. 172. et aedificii huius mirabilis. Tum venit vir quidam, non artifex, sed ex eis qui humeris lapides baiulant in aedificiis, qui promisit illud evertere, si daretur ei merces duorum artificum,
25 singulis diebus. Porticus erant in templo a quattuor lateribus; a parte suprema porticus cum eo adaequabantur et ei adhaerebant. Columnae magnae, mensurae templi respondentes, porticus sustinebant. Erat autem ambitus cuiusque columnae cubitorum sexdecim, et natura lapidum dura, quae instrumentis fer-
30 reis omnino non cedebat. Adduxit vir iste operarios, fodit circa singulas columnas, et fulcivit eas lignis olivarum; cum autem fodiisset circa tres columnas, et ignem iniecisset lignis, daemon niger exstinguebat ignem, et ligna non consumebantur. Quod cum vidisset episcopus, valde contristatus est, *timens* ne maius

[1] De rebus Occidentis notitiam erroneam saepius habuerunt scriptores syri, ut iam vidimus. Honorius duas uxores duxisse notum est. — [2] Ex Theodoreto, *H. E.*, V, c. XXI.

damnum hac de causa incredulis eveniret. Et accepta aqua, eam posuit sub altari, in eam oravit, et eam signavit signo crucis, tum dedit diacono suo qui iret aspergere ligna. Et cum ivisset et aquam effudisset, aufugit daemon et ignis in lignis accensus est[1]. Columnae vero iam in eo erant ut ruerent, et traxerunt secum duodecim columnas alias, et ceciderunt. Latus autem templi quod eis arcte adhaerebat scissus est et corruit. Et sic eversum est hoc aedificium solidum. Fragor autem casus huius templi ad mille passus ab urbe auditus est.

Eodem modo, Theophilus Alexandriae pergit evertere templa *quae magno labore condita fuerant, et pulchritudine splendidae constructionis decorabantur. Eodem quoque modo hodie Saraceni evertunt ecclesias christianorum et destruunt eorum aedificia pulchra et splendidas firmasque porticus.

* p. 173.

De patribus qui exstiterunt hisce temporibus. — Hisce temporibus noti erant operibus praeclaris Mar Simeon stylita, et illustris Mar Barsauma in regione Samosatae, et Mar Abḥai, episcopus Nicaeae, qui fuit monachus famosus, et Mar Aharon Singarorum.

XXXVIII. De morte Arcadii imperatoris. — In templum Acacii ad orandum Arcadius imperator ingressus erat, et convenerant ad videndum imperatorem populus innumerus; vix autem egressis imperatore populoque, subito ruit templum illud; et manifestum fuit miraculum oratione imperatoris *obtentum*.

Postquam vixit in imperio annos XIII, Arcadius defunctus est, natus annos triginta et unum. Et reliquit filium suum puerum Theodosium, natum annos octo; erat ergo parvulus, nec imperio aptus. Honorius autem erat Romae. Idcirco testamentum fecit imperator Arcadius quod commisit Maruthae, episcopo Maiphercat, et misit hunc ad Iezdegerdem, regem Persarum, ut sit curator filii sui Theodosii. Episcopus Maruthas profectus in Persidem ibi multas virtutes operatus est et fidem edocuit populum plurimum. Rex vero multum dilexit

[1] In marg., recentiore manu: Vide prodigium quod fecit Deus per orationem episcopi: aqua quae natura sua ignem exstinguit, hic eum accendit!

eum; et *is* eiecit daemonem e filia illius. Et cum accepisset rex Iezdegerdes testamentum, misit praeceptorem filio Theodosii, una cum epitropis, virum eloquentem et sapientem nomine Antiochum. Et scripsit per ipsum epistulam Romanis ita dicens:
5 Arcadius autocrator mortuus est et me * reliquit moderatorem rerum suarum. Si itaque perfidia usi fueritis erga Theodosium filium eius, qui educatur apud patruum suum Honorium, vel etiam erga Pulcheriam, sororem eius, scitote implacabile bellum mihi fore vobiscum. Idcirco alta pace fruebantur Romani,
10 et crevit christianismus inter Persas, industria Maruthae, episcopi Maiphercat.

* p. 174.

XXXIX. De legatione Maruthae metropolitae in Persidem. — Quia enim assidue mittebantur legati a Romanis vel a Persis, variis de causis, necesse fuit hoc tempore ut Maruthas metropo-
15 lita, quem supra memoravimus, ab imperatore Romanorum ad regem Persarum destinaretur. Is autem, quia in metropolita magnam pietatem inveniebat, honorem ei exhibuit, et tanquam virum Dei amicum eum considerabat. Inde Magi multum perturbabantur et timebant ne faceret regem Iezdegerdem christia-
20 num. Cephalalgia enim laborabat a diuturno tempore rex Persarum, et non potuerant medici eum sanare. Maruthas vero oratione sanavit eum. Et ideo conati sunt Magi decipere regem. Persae ignem adorabant, et solebat rex adorare in quodam templo ubi ignis perpetuo accensus erat. Magi autem occultaverant sub
25 terram hominem qui, ubi rex ingressus fuerit pro more ad orandum, loqueretur; et eum docuerunt ut dicat: Debet rex placare ignem, quia irritavit eum, considerando sacerdotem christianorum ut veracem. His auditis, rex Iezdegerdes cogitavit Marutham dimittere ut abeat; quamvis valde eum revere-
30 batur. Metropolitae vero, utpote viro sancto, revelata est fraus Magorum, et dixit regi: Noli deludi, * o rex; sed iterum ingredere templum ignis; et quando audies vocem, fode, et invenies dolum. Non enim loquitur ignis, sed astutia hominum id operatur. Obtemperavit autem rex metropolitae Mar Maruthae.
35 Rursum ingressus est templum ubi est ignis perpetuus, et rursum audivit eamdem sententiam. Tum iussit rex locum effodi, et postquam effossus est, detectus est ille qui ibi iacebat et putabatur dei nomine loqui. Tunc iratus est rex et, lata sen-

* p. 175.

tentia in Magos, decimus quisque in toto genere eorum occisus est. Habebat metropolitam in magno honore, et ideo christianismus in terra Persarum floruit.

Maruthas cum honore Constantinopolim reversus est. Post autem mortem Arcadii imperatoris, diebus Theodosii, ipse rex 5 Persarum Iezdegerdes defunctus est. Et post eum regnavit Vararanes, filius eius, cuius tempore soluta est pax inter Romanos et Persas.

XXXX. De insidiis quas Iudaei posuerunt christianis. — Hoc tempore etiam gens Iudaeorum Alexandria expulsa est a 10 patriarcha Cyrillo, propter huiusmodi causam. Populus quidem Alexandrinus plus quam ceteri populi seditione delectatur, et praesertim cum inveniunt causam, in magnam perniciem deveniunt; non enim sine effusione sanguinis quiescit impetus eorum. Contigit autem ut plebs inter se tumultuare- 15 tur, non ex aliqua necessitate, sed ob causam malam quae viguit in civitate, scilicet studium pro saltatoribus. Sabbato enim soliti erant spectaculis interesse et frequens populus con-

* p. 176. gregabatur. * Iudaei vero qui sabbato ab operibus vacant, non assidue in synagoga versabantur ut audirent Legem, sed venie- 20 bant ad theatrum. Et haec fuit eis causa in invicem pugnandi, donec res ad ipsum praefectum delata est, qui conabatur eos reprimere, sed non valebat. Cum die sabbati venisset praefectus, Orestes nomine, ad theatrum, ut edicta populo proponeret, occurrebant in theatro quidam familiares Cyrilli pa- 25 triarchae, qui convenerant ut cognoscerent quid ageret seu disponeret praefectus. Erat autem inter eos vir nomine Hierax, magister puerorum, quem diligebat Cyrillus, quia assidue in ecclesia excitabat populum ad plausum cum ipse Cyrillus praedicaret. Iudaei cum viderent hunc Hieracem in theatro, cla- 30 marunt acriter: Ad nihil aliud venit Hierax in theatrum, quam ut excitaret tumultum in populo. Orestes autem praefectus odio habebat Cyrillum, quod magnam partem auctoritatis ab imperatore iudicibus datam sibi arrogabat, et maxime quod continuo volebat Cyrillus administrationem praefecti explo- 35 rare. Idcirco, quando clamarunt Iudaei, praefectus iussit Hieracem apprehendi, et in ipso theatro eum tormentis subiecerunt. Rem edoctus, Cyrillus accersivit principes Iudaerum eis-

que dura minatus est. Iudaei autem, auditis Cyrilli minis, se paraverunt, conspirationem fecerunt, statuto signo, ut gladium in civitate educerent et Christianos trucidarent. Sibi invicem signum darunt, ut manibus suis annulos ex foliis pal-
5 marum gererent. Et quadam nocte, iis instigantibus, quidam viri in regionibus civitatis clamarunt: Ecclesia magna Alexandri[1] igni incensa est! Quo * audito, christiani omnes undi- *p. 177.
que currebant ut ecclesiam ab incendio servarent. Iudaei autem qui *ad hoc* parati erant, in eos cecidebant et occidebant.
10 Multi hac nocte occisi sunt. Illucescente aurora, et noto scelere, commotus est Cyrillus patriarcha, qui cum exercitu profectus ad synagogas Iudaeorum, eas omnes usque ad fundamenta diruit. Iudaeos e civitate expulit, et domos eorum diripiendas christianis tradidit. Iudaei autem multi Alexandriae habita-
15 bant. Praefectus rem aegerrime tulit, et misit qui imperatorem de rebus actis moneret, et quomodo civitas multis incolis privata est. Cyrillus et ipse monuit imperatorem de sceleribus Iudaeorum. Verba patriarchae acceptata sunt melius quam praefecti. Et ideo in magna offensione invicem perseverabant
20 praefectus et patriarcha.

XXXXI. De seditione quam Alexandriae fecerunt monachi. — Monachi autem montis Nitriae, ferventes zelo isto quo iam ardebant a diebus Theophili patriarchae, qui eos iniuste armavit adversus arianos asseclas Dioscori, de quibus locuti sumus
25 inter res ecclesiasticas, excitabantur ut etiam pro Cyrillo decertarent. Congregati igitur monachi numero circiter quingenti, venerunt in urbem, et observarunt praefectum cum exiret. Et cum exiret, curru vectus, accesserunt coram eo, et eum appellaverunt paganum sacrificatorem, et multis aliis contumeliis
30 afficiebant eum. Ille vero existimavit insidias sibi paratas esse a Cyrillo, et valde timuit; et alta voce clamabat: Christianus sum; et ab Attico patriarcha Constantinopolis baptizatus sum. Cum autem monachi non attenderent eius sermoni, sed magis clamarent, quidam eorum, * nomine Ammonius, sumpto *p. 178.
35 lapide, proiecit eum in praefectum. Cecidit lapis in caput eius, et totum vestimentum eius sangine e plaga fluente repletum

[1] Sic Socrates; ms., male: Alexandriae.

est. Id cum viderent officiales eius fugerunt et latuerunt inter turbam, quia ob frequentem iactum lapidum [timebant][1]. Tum zelo commotus populus se convertit in monachos, qui aufugerunt et non amplius apparuerunt. Apprehensus est Ammonius, et adduxerunt eum ad praefectum, qui publice tormentis eum subiecit donec mortuus est. Id etiam retulit imperatori *praefectus*, sed aliter quoque retulit Cyrillus, et sermo praefecti nihil effecit apud imperatorem. Tulit Cyrillus corpus Ammonii et in aliqua ecclesia sepelivit; eum admirabilem appellavit, iussit eum martyrem vocari, et in ecclesia, coram populo, laudavit eum dicens: Certamen fecit pro religione. Qui autem inter eos sapientes erant, etsi christiani erant, non probabant studium Cyrilli erga illum. Sciebant enim Ammonium paenam suae temeritatis luisse, non autem dum Christum negare cogeretur in tormentis mortuum esse.

XLII. Imperium Theodosii iunioris. — Regnare coepit Theodosius iunior, cum esset natus annos octo; et educatus fuit in omni sapientia imperiali dignitati congrua, sollicitudine Pulcheriae[2] sororis eius, monialis; quae etiam ecclesias, monasteria splendida, et xenodochia multa aedificavit.

Honorius autem imperator mortuus est Romae. Et [Iohannes, unus e scribis, rapuit imperium, et][3] scripsit epistulas, et misit legatos ad Theodosium ut concederet ipsi imperium. Theodosius vero custodiae tradidit legatos, armavit exercitus plures et eos misit cum Ardaburio duce. Is devicit Iohannem, * eum occidit et reversus est. Theodosius virum nomine Leontium[4] Caesarem creavit et eum Romam misit. [* p. 179.]

De his quae acciderunt tempore Theodosii iunioris. — Hoc tempore aedificavit et instauravit Cyrus praefectus murum Romae.

Hoc tempore contigit ressurrectio septem puerorum Ephesi, qui dormierant annos CCCLXX.

Hoc tempore venit sanctus Mar Barsauma, ut abiret in urbem imperialem.

[1] Vox excidisse videtur. — [2] Ms.: Pīllūrkūrā cf. p. 144, n. 3. — [3] Lacuna e Michaele Syro suppleta. Cf. Socrat., l. VII, c. XXIII. — [4] Sic ms.: leg. Valentinianum (Socr., VII, XXIV).

Hoc tempore congregata est synodus ducentorum episcoporum cum Cyrillo, propter haeresim Nestorii.

Hoc tempore ossa multa venerebantur quae e tumulis paganorum assumpta erant; et cum esset sanctus Mar Abḥai apud 5 imperatorem Theodosium huic suasit mandare in omni dicione sua, ut quicumque haberet apud se aliquam partem ex ossibus martyrum eam deferat ad imperatorem, qui eam veneraturus erat et ei munera daturus. Et collecta sunt milia et myriades reliquiarum sanctarum in thecis repositarum. Et iubente im- 10 peratore, coacervata sunt ligna plura, quae resperserunt sulphure et naphta, et accenso igne, proiecerunt in eum omnes reliquias illas; et quae erant sanctorum probatae sunt; [ossa] quae non erant sancta consumpta sunt et facta sunt pulvis et cinis. Collegit imperator omnes reliquias sanctorum uno loco 15 et iussit supra illas aedificari templum magnum et gloriosum. Ministrabat autem in eo Mar Abḥai. Et postquam exivit e mundo imperator Theodosius, Mar Abḥai in rupibus Euphratis, in regione Samosatae habitare venit[1].

Hoc tempore gentes multae diversis linguis fidem veram 20 christianorum amplexae sunt.

XXXXIII. De templis, ecclesiis et monasteriis quae aedificata sunt Edessae. — Paucis hic commemoramus templa * quae aedificata sunt temporibus horum imperatorum fidelium et orthodoxorum, a tempore imperatoris Constantini et dein- 25 ceps, Romae, Antiochiae, Hierosolymis, Damasci, Edessae; nam in omnibus regionibus ubi Christum confitebantur, et in omnibus provinciis, hisce temporibus, aedificabantur templa magna, et condebantur monasteria et conventus prospera.

*p. 180.

Aedificatum est primum[2] templum gloriosum Thomae apos- 30 toli, in angulo occidentali versus austrum civitatis, et in eo depositum est corpus sanctum Thomae apostoli, initio porticus borealis ecclesiae.

Item, aedificatum est rursum in regione orientali civitatis, templum magnum duodecim sanctorum Apostolorum, cuius 35 decus et cellae mirabiles similia non habent in mundo.

[1] E fabulosa vita Mar Abḥai a Michaele Syro scripta, quam syriace edidit P. Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum*, t. VI, p. 557. — [2] Edessae.

Item, aedificatum est templum gloriosum sub nomine martyris illustris Mar Sergii, ad portam orientalem civitatis, ad typum templi Apostolorum. Haec duo aedificavit episcopus Edessae, qui incidit in haeresim Nestorii, seu duarum naturarum anno 746°, ⌜diebus Hibae episcopi qui Rabbulae successit[1]. 5

Item, aedificatum est templum gloriosum et mirabile Mar Iohannis Baptistae, in regione occidentali civitatis, super columnas mirabiles marmoris rubri. Illud aedificavit Nonnus episcopus ipsius civitatis Edessae[2]. 10

Anno 722° aedificata est ecclesia[3] Mar Stephani in media civitate, quam aedificavit Rabbulas episcopus Hibae decessor; erat antea synagoga Iudaeorum[4].

Item, aedificatum est templum Mar Sergii, in regione orientali civitatis, paullum ad austrum templi Apostolorum, ad 15 formam templi magni Thomae apostoli. Item aedificata sunt * p. 181. templa duo illustri Mar Theodoro, unum in arce superiore urbis, et alterum extra *urbem* in monte, * in regione occidentali, iuxta viam *quae* Sarug *tendit*. Item, aedificatum est templum gloriosum in Colle speculatorum, sub nomine sanctorum Con- 20 fessorum, et in eo conditus est conventus monachorum. Aedificatum est etiam templum aliud eisdem Confessoribus, Guriae, Samonae et Habibo, ad portam septentrionalem civitatis.

Item, aedificatum est templum illustri Mar Cyriaco, ad 25 orientem et septentrionem templi sanctorum Confessorum.

Item, aedificatum est templum Mar Iacobo, in pago Edessae propinquo, cui nomen Charmūš, sub nomine Mar Iacobi qui martyrium passus est diebus Iuliani.

Item, aedificata sunt templa gloriosa sanctis Cosmae et Da- 30 miano: unum Mar Cosmae in regione australi, extra *muros*, in planitie, et ibi depositum est corpus eius; alterum Mar Damiano, supra verticem cacuminis civitati proximi, et in eo depositum est corpus eius.

Item, aedificata sunt in eo monte monasteria gloriosa et con-

[1] Haec redundant. Cf. *Chron. edessenum*, ad ann. 746. — [2] Cf. *Chron. edess.*, ad ann. 769. — [3] In textu minus concinne: « templum... quam aedificavit ». — [4] Cf. *Chron. edess.*, ad ann. 723.

ventus multi, inter quae: monasterium Deigenitricis et monasterium Orientalium ad radices montis; et monasteria duo sanctae Barbarae; et monasterium Cubbarum, ad radices montis ad austrum templi Mar Cosmae; et monasterium episcopale Deige-
5 nitricis, et monasterium Mar Iohannis theologi, in summo vertice montis; et monasterium Exedrae[1], id est monasterium cacuminis et archimandritae, quia *ibi erat* exedra[1] archimandritarum.

Et templum gloriosum Stelarum[2] Mar Iacobo *dicatum,*
10 intra montes, ubi aedificata fuerat ara magna paganorum, quae usque hodie exstat in monasterio. Et templum Deiparae, intra montem, ad austrum monasterii Mar Iacobi.

Anno 624°, diebus Constantini, posuit fundamenta ecclesiae magnae Cyrus episcopus; et complevit eam Ša'dū[3] episcopus
15 et absolvit eam Aitallaha episcopus, qui adfuit synodo CCCXVIII *patrum.*

XLIV. * De sancta Sophia. — Loquamur etiam de templo magno et glorioso sanctae Sophiae[4], quod aedificatum est in civitate. Incepit constructionem eius Aitallaha episcopus, qui
20 diebus Constantini imperatoris victoris erat episcopus Edessae et fuit unus e CCCXVIII *patribus.* Huius pulcritudinem et structuram solidam nemo enarrare potest; visu mirabile erat, obtectum intus auro, vitris et marmore albo; de huius templi aedificatione plures reges curarunt.

* p. 182.

25 Item, aedificatae sunt in media civitate, pares ecclesiae gloriosae: una sub nomine Crucis, sed postea, quando Edessam allatum est caput pretiosum Mar Theodori martyris, et in ea depositum fuit, appellata est ecclesia usque hodie nomine martyris; altera contra eam, ad austrum, sub nomine Deigenitricis.
30 Item, aedificatum est templum aliud Deigenitrici, ad septentrionem templi Mar Stephani. Item, aedificatum est templum aliud in angulo australi civitatis sub nomine illustris mar-

[1] Sensus vocis hic fortasse sit idem ac in titulis palmyrenis, nempe « sepulcrale cubiculum ». — [2] Hic numero singulari sed saepe plurali scripta est vox. Incerta itaque interpretatio: stela vel stelae. Sensus est « sepulcrale monumentum »; cf. *Chron. edess.*, ad ann. 400. Assemanus et plures post eum verterunt monasterium Animarum. — [3] Ms. ŠBRWT. — [4] Ms. IGWSPIA.

tyris Mar Georgii. Etiam multa alia templa et monasteria aedificata fuerunt intra et extra civitatem, quorum nomina non commemorata sunt.

Aedificatum est etiam templum aliud in parte australi civitatis sub nomine Michaelis angeli [1]. 5

XLV. De eis qui baptizati sunt in monasterio Exedrae [2]. — Invenimus scriptum in libris duodecim milia latomorum, qui secabant lapides in monte ad constructionem, uno die festi Epiphaniae baptismum suscepisse in monasterio Exedrae quod est in monte Edesseno. Eo tempore erant in hoc monte nonaginta milia monachorum. 10

*p. 183. Valde * prosperabant christiani diebus huius imperatoris Theodosii. Et protractum est tempus imperii eius ad annos XXXXII; migravit autem ad Dominum suum natus annos quinquaginta. Et mortuus est cum filios non haberet. 15

XLVI. Et anno 763° regnare coepit Marcianus imperator. Is Marcianus erat vir indoctus et rudis. Quando autem regnare coepit, cum non esset e stirpe regia, voluit sibi confirmare imperium, et ideo sumpsit uxorem Pulcheriam [3] monialem, sororem Theodosii, quae dimisso habitu, facta est uxor eius. 20

Hoc tempore erat Romae archiepiscopus Leo. Is offensus erat imperatori propter hoc negotium illegitimum. Et ideo necesse habuit imperator Marcianus adscendere Romam, et secum duxit Pulcheriam monialem, quae facta est cum ipso imperatrix. Cum adveniret Romam, papa non obviam ei exivit, et cum venisset ipse imperator ad eum salutandum, papam Leonem respersum cinere, in faciem prostratum, et orantem invenit. Hoc videns, imperator de ratione interrogavit. Dixit ei Leo: Ideo in cinere prostratus sum coram Deo, donec vindictam sumet de iis qui contempserunt verbum meum et sedem meam; et definitionem fidei orthodoxae, quam in epistula misi, non acceperunt. Imperator autem promisit se congregaturum episcopos et confirmationem procuraturum sententiae Leo- 25 30

[1] Descriptio Edessae sumpta videtur ex Historia civitatis a Basilio bar Šumana concinnata; de qua Michael syrus, l. XVII, cap. VII. — [2] Vide p. 143, n. 1. — [3] Pillūrūkūrā; cf. p. 140, n. 2,

nis quae in Christo duas naturas unitas et unam hypostasim confitetur.

XXXXVII. De tomo Leonis; quomodo non acceptatus est; et de Eutyche. — Habebat autem imperator Marcianus * quem dam medicum famosum, qui erat archimandrita unius e monasteriis urbis imperialis. Is incidit in haeresim et dicebat de Christo: est una natura incarnata; corpus suum secum de caelo attulit et per Mariam transiit, sed nihil ab ea accepit. Propterea congregata est Chalcedone urbe Bithyniae synodus episcoporum qui fuerunt sescenti et triginta sex: duplum Nicaeae. Erat autem praeses synodi Dioscorus, patriarcha Alexandriae, qui Cyrillo successerat. Convocarunt Leonem Romae, qui misit duos presbyteros locum suum tenentes, et scripsit epistulam adversus Eutychem. In ea confirmavit duas naturas; et cum lecta esset in synodo eam non acceptarunt episcopi; et sanctus Dioscorus quemcumque qui reciperet hanc definitionem anathematizavit. Et omnes episcopi consenserunt et anathemate statuerunt ne unquam iste tomus accipiatur. Postquam autem Romam adscendit Marcianus, ut diximus, et Leoni promisit confirmationem eius epistulae, reversus est Chalcedonem; et adhibitis militibus armatis, minis et comminationibus, iussit episcopos recipere epistulam Leonis. Et cum urgeret vis imperatoris consenserunt episcopi omnes, praeter Dioscorum et patres Aegyptios qui cum eo erant. Et absolutionem dederunt in hac synodo Hibae Edessae, qui anathematizatus fuerat in synodo ephesina, et Theodorito, et eos admiserunt. Et quidem confirmata est definitio quam fecit ista synodus quae congregata est Chalcedone anno 763°. Omnia autem quasi ad perturbationem ecclesiae fecit.[1] Inde, ubicumque expansa est doctrina Christi, malum magnum huius synodi causa consecutum est. Et ecce fuse scripsimus in libro historiarum ecclesiasticarum quae acciderunt: persecutiones, depraedationes, oppressiones, raptus * bonorum, expulsiones, exilia, supplicia, caedes, effusionem generalem sanguinis. Et loco pacis et concordiae ecclesiarum Christi, induxerunt bella, schismata et divisiones.

* p. 184.

* p. 185.

[1] Quot erroribus scateat haec confusa narratio rerum gestarum in conciliis pseudo-ephesina et chalcedonensi adnotare vix utile putamus.

Regnavit autem *Marcianus* annos sex et menses septem. Brevi praecidit Dominus dies eius, et amisit vitam praesentem et alteram.

XXXXVIII. Imperium Leonis imperatoris orthodoxi, qui regnare coepit anno 769°. — Mortuo Marciano sine filiis, regnare coepit in imperium Romanorum vir nomine Leo, qui erat tribunus, *genere* Thrax. Et constituit secum in imperio generum suum Zenonem, quem fecit magistrum militum et in Orientem misit. Zenoni autem natus est filius, e filia Leonis imperatoris, quem appellavit Leonem. Hunc puerum Leonem amavit imperator Leo senex, et eum autocratorem, id est regem regum, adhuc vivens, antequam moreretur instituit. Et postquam regnavit Leo senex annos XVIII, defunctus est.

Regnum Leonis, prout scripsit Iohannes Asiae. — Imperator autem Leo fecit[1] filium filiae suae puerum parvum, filium Zenonis, qui etiam nominabatur Leo, ⌈fecit eum[1] Caesarem et adhuc vivens eum secum regnare fecit; et vocatus est Leo minor. Et post annum mortuus est Leo senior. Tunc filia eius, mater Leonis minoris, qui puer erat septem annorum, hunc decepit et dixit ei: Fili, quando pater tuus veniet te salutaturus, sume coronam imperialem e capite tuo et impone capiti patris tui. Puer autem fecit sicut mater eius ei suaserat. Et Zeno, pater eius, imperator habitus est. Post autem aliquot dies aegrotavit puer Leo, et mortuus est. At elapso anno, erga Zenonem dolo usa est socrus eius, sicut scripsimus.

XXXXVIIII. Regnum Zenonis et filii eius Leonis. — Regnare coepit anno [786][2]. Nondum expleverat puer Leo * annum post patrem suae matris, cum mortuus est. Mater autem matris eius, socrus Zenonis, excitavit rebellionem adversus Zenonem generum suum, et conspirationem fecit cum Basilisco[3] fratre suo, qui arripuit negocia imperii, et regnare coepit in urbe imperiali. Zeno autem fugit in regiones Isauriae[4]. Basiliscus vero definitionem Chalcedone stabilitam reprobari iussit,

* p. 186.

[1] Aut aliquid excidit, aut subsequentes voces « fecit eum » redundant. — [2] Sic legendum; non autem 898, ut habet apographum; quam lectionem in textu incaute admisi. — [3] Ms. Bāsīllīŏs; et sic ubique. — [4] Ms.; Sauriae; et sic pluries.

et Alexandriam remisit Timotheum, qui secum adduxit ossa sancti Dioscori. Zeno autem collegit copias et cum impetu in urbem imperialem venit eamque expugnavit. Fugit Basiliscus, et regnavit Zeno annos xvii. Et mortuus est sine filiis; nam filius eius Leo, ante ipsum defunctus erat. Diebus eius pax regnabat in Ecclesia.

Tempore Zenonis imperatoris rebellavit populus Samaritanorum, qui est in Palaestina; et constituerunt sibi regem quemdam samaritanum nomine Iustum [1], qui multos necavit inter christianos et etiam inter principes civitatum. Ingressus est Caesaream, et ibi regnavit, et incendit ecclesiam. Misit autem imperator Zeno copias multas, qui pugnaverunt adversus eos; et devicti sunt Samaritani, et omnes ore gladii occisi sunt. Lex autem lata est ne deinceps samaritanus in militia serviret.

L. Imperium Anastasii imperatoris, anno 803°. — Postquam mortuus est Zeno imperator, regnavit in urbe regia Anastasius. Diebus huius, regnabat in Perside Pherozes, rex Persarum. Regnante Anastasio, anno 13° eius imperii, exierunt Hunni [3] e portis illis quae a Persis custodiebantur. Et cum processisset Pherozes ad bellum cum Hunnis devictus est * et in pugna occisus est. Regnavit autem post eum in Persas rex Cavades. Is ira erga Romanos movebatur.

* p. 187.

LI. De obsessione et expugnatione Amidae. — Congregavit rex Cavades exercitus multos et processit in regionem Armeniae [4]; mense tešrīn pervenit ad civitatem Amidam et eam obsedit. Ordinatis adversus urbem exercitibus, coepit aggredi et impugnare eam multis diebus, sive continuis telorum proiectionibus, sive capitibus arietum quae murum percutiebant. Magno labori implicatus erat exercitus eius; et convicia opprobriaque populi inordinati, qui stabat supra murum, auribus suis percipiebat rex. Et hiems eum assecuta est. Et quia tempore hiberno Persae, saraballo vestiti, debiliores videbantur, et arcus eorum ob humiditatem aeris relaxabantur, non feriebant

[1] Ἰουστασάς (*Chron. pasch.*). — [3] In marg., rec. manu: Hunni hodie Tatar vocantur. — [4] In marg., rec. manu: Armenia hodie Khelat appellatur.

eos qui supra murum stabant; ideo in angustiis erat rex Persarum. Consilium cepit advocandi artifices, qui facerent mulam ligneam. In ea disposuit viros armatos ex strenuissimis Persarum, circiter quingentos, et propulerunt eam ad murum: rex vero et exercitus post eos clamabant, hortabantur, et tela iaciebant. 5 Posuerunt ligna, de mula ad murum, quibus viri procederent et civitatem ingrederentur. Obsessi coniecerunt serias naphtae intra mulam, et expanderunt ante hostes, supra pontes quos ii fecerant de mula ad murum, pelles boum recens detractas et foenu graecum naphta elixatum. Per sex horas propugnarunt 10 impedientes ne introeant donec, accenso * igne, flagravit mula et corruit. Persae qui in ea erant cremati sunt et perierunt. Mansit autem rex in dolore et confusione magna, dum coeperunt viri superbi et imperiti, qui erant supra murum, regem probris afficere, deridere et subsannare. Cum multi ex militibus 15 Persarum periissent, relaxatae sunt manus Cavadis regis, et petiit a civibus ut ei darent munus ut ab eis discederet. Isti Romani elati, duri cervice et intellectu destitui, petebant ab eo pretium leguminum hortorum quae comederant exercitus eius, et pretium frumenti et vini quae sumpserant in pagis. Tunc 20 iuravit Cavades se non prius discessurum quam urbem expugnaverit, et eam in praedam militibus suis tradiderit. Et coepit rursum cum eis decertare.

* p. 188.

In regione occidentali urbis, supra murum vigiliae commissae erant monachis e monasterio Mar Iohannis. Archimandrita 25 eorum erat genere persa; die nocteque attente vigilabat, prudens enim et sedulus erat. Quidam autem latro erat in urbe, quem appellabant Cothrangen [1]. Is magna audacia ferebatur in Persas obsessores: audebat nocte exire et rapere Persarum res et pecudes. Et observabant eum Persae, sed eum neglegebant, ut 30 post eum venientes viderent qua intret et exeat. Contigit autem aliqua nocte ut essent tenebrae et obscuritas ob densas nubes pluviosas. Monachis autem qui custodiebant murum aliquis fecit convivium, et vinum biberunt usque ad tempus profundae noctis, et somnus oppressit eos, neque vigilarunt custodiae, pro 35 more. Hac autem nocte exivit ille latro in castra, et furatus

[1] Ms. QUTRIGA, sed alias, et melius, QUTRNGA

rediit; unus e militibus, cui nomen Canaranges[1], eum secutus est, cum turma sua, usque ad murum. Et ingressus est latro in turrim quam custodiebant monachi. Milites * vero cum accessissent ad murum, eo loco quem custodiebant monachi, et cum monachi neque clamarent, neque lapides iacerent, pro more, intellexerunt viros dormire. Arcessiverunt scalas, apposuerunt eas et in turrim monachorum ascenderunt monachosque occiderunt. Iam ingens populus Persarum invaserat murum cum audierunt vicini custodes turrium aliarum; et voluerunt venire, sed non potuerunt: alii enim telis feriti mortui sunt, alii lanceis et gladiis occisi sunt. Persae autem multiplicati sunt super murum; quando vero dies illuxit venit rex cum exercitibus prope murum. Multi qui scalis adscendebant, confringebantur lapidibus, telis, lanceis, et cadebant; qui vero ob timorem retro se vertebant, iussu regis occidebantur; et inde se ipsos devoverunt Persae ut aut vincerent et expugnando urbem se illustrarent, aut morerentur et non vituperarentur a suo rege qui aderat spectator pugnae. Expugnata est igitur civitas. Qui supra murum stabant occisi sunt, et descenderunt Persae in civitatem, aperuerunt portas, et ingressi sunt exercitus Persarum, accepto mandato trucidandi omnem statum et aetatem per tres dies et tres noctes. Ut ecclesia, quae vocatur Quadraginta Martyrum, cum plena esset populo, servaretur, a rege precibus obtinuit quidam dux exercitus Persarum. Post tres dies cessavit devastatio. Et ingressi sunt viri qui custodirent thesauros ecclesiarum, ut quidquid in eis inveniatur sit regis. Tulerunt argentum multum vasorum sacrorum, et aurum, et vestes pretiosas quae ab Isaaco Baraeia, viro divite civitatis, data fuerant, et venerant in haereditatem ecclesiae. Inventum est etiam in ecclesia bonum vinum exsiccatum, quod soli exponebatur per septem annos, et tandem exsiccabatur. Ex * illo bibebant oeconomi ecclesiae, et indoctis dicebant esse reliquias. Id cum vidisset rex Cavades miratus est et sumpsit illud. Iussit etiam rex ut cadavera occisorum collegerentur et extra civitatem in partem septentrionalem educerentur et numerarentur. Numerata sunt, et inventa sunt octoginta milia. Tandem reliquit rex in civitate aliquem ex ducibus

* p. 189.
* p. 190.

[1] Ms.: Qirnq; Zach. rhetor: Qnrq (Proc.: Χαναράγγης).

exercituum cum exercitu trium circiter milium hominum; et discessit.

De Edessa. — Et postquam expugnavit Amidam venit Cavades Edessam, et eam obsedit, sed non potuit eam expugnare; populatus est regionem, incendit segetes et reversus est Nisibin. 5

LII. De urbe Dara condita. — Tempore quo a Persis expugnata est Amida, imperator Anastasius duces qui Amidae erant vituperabat quod non strenue decertaverint adversus Persas. Et mox suasuerunt ei milites ut civitas aedificetur prope montem, in finibus, ut sit locus refugii exercitibus. Aliqui loquebantur de Dara, quae erat pagus ecclesiae, alii loquebantur de pago Ammudin[1]. Placuit ut Dara aedificaretur. Dedit imperator Anastasius Thomae episcopo aurum, pretium pagi ecclesiae, et illum fisco acquisivit et aedificationem urbis praescripsit. Et curante episcopo duobus vel tribus annis aedificata est; ut ita dicam, subito germinavit in finibus, et appellata est Anastasiopolis. 10 15

Anno 23° eius imperii, rebellavit populus Armenorum. Et misit exercitus suos, et oppresit eos, et submissi sunt Romanis.

Hoc tempore Nicopolis civitas subversa est et suos incolas obruit. 20

Postquam regnavit Anastasius annos XXIX, defunctus est. De eis autem quae acta sunt in ecclesiis *et* de pontificibus qui exstiterunt eius tempore, scripsimus in libro historiarum ecclesiasticarum. 25

*p. 191. LIII. * Regnum Iustiniani senioris, qui regnare coepit anno 832°. — Itaque post Anastasium regnavit Iustinianus[2], senex visu pulcher, e castro Myrina oriundus. Is cum regnare coepisset instauravit persecutionem in Orthodoxos; et rursum confirmavit definitionem chalcedonensem, ut exposuimus in libro quem fecimus. 30

Hoc tempore, Edessae Mesopotamiae, exundavit fluvius qui per mediam urbem transit, et vocatur Skirtos, seu Daiṣan; submersit et destuxit totam mediam urbem, et magnam partem muri diruit. In ripa autem fluminis inventa est tabula scripta, qua litteris hieraticis ita scriptum erat: Saltator (Daiṣan) flu- 35

[1] Ἀμμώδιος (Procop.). — [2] I. e. Iustinus, quem saepius Iustinianum appellant Syri.

vius saltat saltus malos, o cives! Imperator autem Iustinianus misit instaurare denuo urbem et murum eius. Suffocati sunt autem Edessae in hac exundatione triginta milia animarum; quia de nocte accidit.

5 Antiochiae autem fuit incendium, quod eam penitus consumpsit. Postea fuit terrae motus vehemens, et quidquid servatum erat ab incendio destruxit terrae motus.

Postquam regnavit Iustinianus annos novem, mortuus est sine filiis, et post eum regnavit Iustinianus alter, qui erat dux 10 militum in Oriente.

LIIII. Regnum Iustiniani secundi[1], qui regnare coepit anno 841°. — Anno primo regni sui, iubente Iustiniano, quievit persecutio in ecclesiis orthodoxorum, sollicitudine Theodorae imperatricis.

15 Hoc tempore exstiterunt Isaias episcopus Rhodi, et Alexander episcopus Diospolis, qui erant chalcedonii; et deprehensi sunt in sodomia. Iubente imperatore, amputata sunt eorum genitalia, et illi lecticis imposti, genitalibus arundini affixis, circumducti sunt per urbem * imperialem, dum praeco ante illos * p. 192. 20 clamat: Ita decet tractari episcopos qui honestatem non servaverunt.

Hoc tempore fuit perturbatio ob pascha; et ieiunarunt hebdomadam superfluam.

LV. De Theodora imperatrice. — Huius autem Theodorae 25 imperatricis pater erat sacerdos Callinici, ad fluvium Euphraten; ipsa autem erat puella pulcra visu, et verecundia pulcritudineque animae et corporis ornata. Quando is Iustinianus, dux exercitus, missus est ab imperatore Iustiniano, eius decessore, in Orientem propter correctiones imperii, pervenit Cal-30 linicum; et audivit de puella Theodora; haec, cum eam vidisset, placuit oculis eius; et petiit a parentibus puellae ut eam ipsi legitime desponsarent. Isti vero illam ei dederunt, sed inviti, quia sententiam Chalcedonensium tenebat. Et eam secum adduxit in urbem imperialem, et cum regnaret, multam consola-35 tionem ab ea acceperunt Orthodoxi.

LVI. De his quae acciderunt diebus Iustiniani, anno 853°. — Hoc tempore mortuus est Cavades rex Persarum, et regnavit

[1] Iustinianus Ius.

Chosroes. Is toto vitae suae tempore versatus est in lectione philosophorum, et collegit libros omnium religionum, et multiplicavit persecutiones in christianos.

Hoc autem tempore, in Perside, episcopum Aḥūdemmeh habebant Orthodoxi.

Tempore huius imperatoris, venit Mundarus filius Šaqīqā[1] et populatus est loca plura ad austrum Euphratis; ut eum assecutus est Ḥareth filius Gabalae, qui eum occidit et captivos remisit. In pugna autem mortuus est ⌈filius[2] Ḥareth, Gabala, et sepelivit eum pater eius in martyrio Ain 'Urarye[3].

*p. 193. Hoc tempore adscendit Chosroes, rex Persarum, in * Edessam; et eam obsedit dies LV; et cum non potuisset eam expugnare, populatus est totam regionem et Sarug, usque Euphraten. Inde profectus, obsedit Antiochiam, quam expugnavit, evertit, perdidit et captivum populum fecit; tulit totum peculium ecclesiarum, etiam tabulas marmoreas parietibus insertas, et abduxit in Persidem. Et recedens venit et transiit Euphraten pervenitque Callinicum; et populatus est Balas et omnes ripas Euphratis regionemque Callinici. Et tulit ossa Mar Bacchi, et aurum in theca Mar Sergii obductum, Rosaphae, et totum peculium ecclesiae.

LVII. De paganis in urbe imperiali. — Hoc tempore, iussit imperator Iustinianus paganos apprehendi, quia aperte sua mysteria celebrabant. Apprehensi sunt sacerdotes eorum; et circiter duo milia librorum eorum igni cremaverunt. Plerique ob timorem mortis christiani facti sunt; et qui non se converterunt occisi sunt. Quidam in suppliciis variis mortui sunt, et christianismum non sunt amplexi. Praepositus est huic inquisitioni ab imperatore Iustiniano, Iohannes episcopus Asiae, ut requirat paganos. Vir quidam dives, cui nomen Phocas, ex paganis, cum videret impetum inquisitionis, nocte sumpsit venenum letiferum et mortuus est. Praescripsit imperator ut asinaria sepultura sepeliretur.

LVIII. De Manichaeis in Perside. — Hoc tempore, cum opinio Manichaeorum vigebat in Perside, Cavades, rex Persarum,

[1] Ἀλαμούνδαρος ὁ Σακικᾶς (Proc., *B. P.*, I, 7). — [2] Ms. perperam « pater ». — [3] Vide infra, p. 158, ubi notitia rectius traditur.

filium suum Chosroen Manichaeis tradidit, ut ab eis discat libros. Foedus autem pepigit iuvenis cum Manichaeis, se cum regnaret exaltaturum eorum doctrinam. Et cum ivisset ⌈princeps[1] iuvenis cum matre sua ad Cavadem, ab isto petierunt * ut adhuc vivens regnare faceret filium suum; prout illos edocuerant Manichaei. Et cum faceret rex disquisitionem, dictum est ei christianos manichaeos *id* suasisse filio eius; vocavit episcopum Manichaeorum et ei dixit: quia diligitis me et filium meum, hanc bonam cogitationem erga me concepistis; nunc convoca omnes Manichaeos asseclas vestrae doctrinae, qui de regno filii mei cogitaverunt. Et cum arroganter se manifestavissent Manichaei, mandavit rex ut omnes ore gladii trucidarentur, et ne unus quidem ex eis, superfuit. Et datae sunt ecclesiae eorum Orthodoxis.

* p. 194.

LVIIII. De Antiochia et de casibus qui ei acciderunt. — Anno 7° Iustiniani imperatoris, subversa est Antiochia quinta subversione; et ita gravis et terribilis fuit subversio, ut qui evaserunt e terrae motu, terrore perierint; non mansit ecclesia aut domus quae non dirupta esset. Et sic periit civitas.

Et post duos annos subversa est, sexta subversione; fuit in ea terrae motus gravis, et, post motum, vox quasi tonitru vehemens et protracta e caelo, et e terra vox terribilis quasi mugitus bovis. Et murus urbis, ecclesiae ceteraque aedificia quae servata erant in praecedenti motu, eversa sunt, etiam in pagis circumvicinis. Et numerata sunt cadavera eorum qui in hoc terrae motu perierunt XXXII milia, et lignarii fabri et architectae duo milia septingenta et quadraginta, praeter eos qui vulnerati, feriti et confracti sunt. Cum res imperatori nota esset, iussit everti murum externum, et murum in media civitate aedificari, magna parte extra murum relicta; quo facto, accidit ut fluvius remotus sit a muro. Et praecepit imperator ut foderent extra murum recens aedificatum, ut sit alveus fluvio et is transeat * prope murum ex una in alteram partem. Et ita, cum obstructus fuisset fluvius, vi transiit ad latus muri cum magno labore aedificati.

* p. 195.

LX. — De fame quae contigit eius diebus; et de Eliseo anthropophago. — Anno 853°, fuit fames magna, adeo ut homines

[1] Ms. « rex »; vox redundat, et delenda videtur.

se invicem devorarent ob famen, et bestias impuras comederent. In pago 'Ufrīn erat vir, cui nomen Eliseus, e regione Ninives oriundus, qui cum latronibus conversatus erat; post tempus se separavit, et habitabat solus in spelunca. Et quotiescumque descendebat in aliquem e circumvicinis pagis et inveniebat pue- 5 ros ludentes, seducebat et abducebat unum ex illis in speluncam in qua manebat. Et eos immolabat, carnem eorum assabat, exsiccabat et comedebat; capita vero eorum et vestes abscondebat extra speluncam. Sumebat partem carnis et descendebat in singulos pagos, et cum videbat mulierem filium suum lu- 10 gentem consolabatur eam ab afflictione, et dicebat: Talis, tibi compatior, quod periit filius tuus. Et dabat eis carnem filiorum earum; et manducabant ob famem, et ei gratias agebant. Cum esset tempus vindemiae, dixit vinitoribus: Paratus sum vobis facere convivium, et dabitis mihi vinum. Dixerunt ei: Fac. Venit 15 autem ad hunc pagum quidam diaconus nomine Damianus, e monasterio Mar Mari, ut emeret caseum. Dixit ei Eliseus: Ego dabo tibi caseum. Dixit ei Damianus: Quanti venum das? Et respondit Eliseus: Quadraginta libras pro denario. Pinguis corpore erat Damianus; postquam adduxit eum secum Eliseus 20 * p. 196. * in speluncam, dixit ei: Recumbe et quiesce paullulum, dum ibo et afferam tibi caseum. Et cum recumberet diaconus, cunctatus est Eliseus; et somno captus est Damianus atque sine cura ille miser dormivit. Et regressus Eliseus cum videret eum dormientem tulit magnum lapidem, proiecit in caput eius et 25 eum occidit. Decerpsit carnem ex humeris eius et descendit parare convivium incolis pagi, propter vinum. Et dum manducant, quidam ex illis, Matthaeus nomine, ait Eliseo: Non gratus mihi est odor huius carnis. Respondit ei cum iuramentis esse *carnem* ibicis. Verum non ex ea comedit vir iste; socii vero eius avidi 30 ad satietatem manducarunt. Et post dies erat in hoc pago sacerdos; et aliquando dixit ei Eliseus: Emisne, domine sacerdos, optimum caseum quod habeo? Dicit ei sacerdos: Quanti das? Respondit Eliseus: Propter amorem tuum, tibi dabo quadraginta libras pro denario. Et adscendit cum eo in speluncam. 35 Dixit ei: Recumbe, domine, et requiesce, donec afferam caseum. Erat autem vesper. Et abiit Eliseus et per tempus cunctatus est. Et quando existimavit sacerdotem dormire, tulit lapidem et

ingressus est ut eum occideret. Sed sacerdos vigilabat; et eum videns ait: Visne me occidere, Elise? Is autem respondit: Hilaritas est vini. Tunc cura fuit sacerdoti, surrexit, et per totam noctem usque ad auroram psalmos recitavit. Et cum mane il-
5 lucesceret, dixit ei sacerdos: Habesne caseum, Elise? Si non habeas descendamus ad pagum. Et cum verbis amoenis blanditus est ei, eumque secum descendere fecit. Et rem notam fecit sacerdos incolis pagi qui caute apprehenderunt Eliseum et praefecto tradiderunt. Et cum tormentis submitteretur quid-
10 quid fecit confessus est. Et cum adscendissent et exploravissent eius speluncam, invenerunt in ea undecim crania virorum, etiam mulierum, et puerorum, et vestimenta eorum et * partem carnis eorum exsiccatae. Et crucifixerunt Eliseum, et post crucifixionem eum igni cremarunt. *p. 197.

15 LXI. De lue anni 857[1]. — Anno 16° Iustiniani fuit lues magna, et afflictus est totus orbis, nam grassata est et pervenit in universam Aegyptum, et Palaestinam, et Ciliciam, et Romaniam. Alexandriae vero res eo devenit ut non inveniretur qui cadavera educeret, et usque XII denarios dabant cuicumque qui ea edu-
20 cebat extra *urbem* et proiciebat quasi canes. Accidit ut, lectulo quattuor baiulis imposito, dum deducunt eum, qui deferunt post ipsum ceciderent et deficerent. Aliquando, dum comedit, quis moriebatur. Quisque timebat e domo exire, ne fortasse foris moriatur et non agnoscatur; et qui egrediebatur, cum
25 exiret ut funus ducat aut sepeliat, scribebat tabellam: Ego sum talis, filius talis, ex tali vico et tali aula; qui me invenerit subito mortuum, per Deum, moneat familiam meam, ut si quem habuero veniat me auferre. Narrant in aliqua civitate Aegypti ne unum quidem hominem superstitem fuisse. Quidam mercator
30 qui ab ea ex tempore exiverat, cum haec audiret, aliquot misit servos suos, ut viderent et de familia eius inquirerent. Cum pervenissent, neminem invenerunt in urbe. Collegerunt aurum multum, et tulerunt ut discederent, at in ipsa porta civitatis defecerunt et mortui sunt.

35 Cum opprimeret calamitas urbem imperialem, primum seviit in pauperes; aliquando uno die V milia, VII milia, XII milia, et usque ad XVI milia ab urbe educebant. Et quia initium calamitatis erat, stabant viri ad portus et transitus, et numerabant

supputationemque mortuorum faciebant: devenerunt ad CCXXX
* p. 198. milia uno * die; et cum viderent innumerabiles fieri, neglexerunt. Deinde extendit manum suam devastatricem super potentes saeculi, et percussi sunt plaga pustularum seu tumorum. Non hominum tantum fuit haec plaga, sed et ferarum et animalium, imo etiam murium. Unus dum exercet artem suam moriebatur; alter dum cibum sumit, alter in balneo, alter in foro; vacaverunt tabernae et cessavit commercium. O visio amara! Stabant homines ad littus maris trahentes et proiicientes *cadavera* ⌈in mare ope navium modo tria milia, modo quinque milia, mox innumera[1]: et urbs non vacabat cadaveribus! Iubente imperatore, facta sunt feretra sescenta. Et negotio praefecit virum cui praecepit ut sumat et expendat aurum, quantum necesse erat, et angariet viros qui magnas excavationes facerent in quibus cadavera collegerentur. Et postquam fecerunt, deponebant in singulis excavationibus septuaginta milia. Constituit praeterea viros qui coacervabant ordines supra ordines, quasi foenum quod coacervatur in agro. Et sollicitudine imperatoris civitas a cadaveribus liberata est. Inventae sunt in una domo viginti personae mortuae, et vermibus scaturiebant; erant inter eas mulieres mortuae et putridae, et parvuli adhuc viventes qui matrum suarum ubera tenebant. In hac urbe plus quam omni loco saeviit haec calamitas. De legatis et haereditatibus nemo loquebatur.

Imperator autem Iustinianus ecclesias multas et monasteria aedificavit, et xenodochia. Et ope Iohannis, episcopi Asiae, nonaginta sex ecclesias et LXX monasteria, et V xenodochia aedificavit; et septem etiam synagogas Iudaeorum destruxit quas in ecclesias convertit, in locis Asiae. Et baptizata sunt diebus eius, in his locis, a dicto Iohanne, viginti et tria milia paganorum.

* p. 199. * Anno 861°[2] obstructum est flumen Euphrates supra Claudiam, contra Cappadociam, ad latus pagi qui vocatur Praesidium(?). Mons magnus repsit et descendit, et cum esset ingens

[1] Interpretatio compilatoris qui fortasse intellexit ܒܐܠܦܐ « per milia »; sed Ioh. Ephes., quem exscripsit, notat cadavera proiecta fuisse in naves quibus in alteram ripam vehebantur. — [2] Ps.-Dionys.: « anno 841 »; cf. in hac serie, t. II, p. 69.

vertex horum montium angusto spatio distantium, alveum a monte ad montem obstruxit, et per tres dies et tres noctes retroversus est fluvius versus Armeniam, regionem inundavit et pagos multos submersit; infra autem exsiccatus est. Post par-5 vum tempus obex cessit et coepit perrumpi; tandem repente disruptus est, et fuit commotio in toto Oriente, et abrepti sunt pagi et homines et iumenta quae casu obviam fuerunt.

Anno sequenti defecit sol per horam et dimidium; et non maturuerunt fructus arborum, neque uvae, hoc anno.

10 Hoc anno apparuit stella quasi lancea ignita in regione septentrionali; extremitas eius inferior a stella initium capiebat, et per tres circiter menses nocte apparebat, usque ad mortem Iustiniani.

LXII. De amentia incolarum Amidae et Mesopotamiae. —
15 Post multas calamitates quae afflixerunt urbem Amidam spatio quadraginta annorum, et depraedationem divitiarum eius, et ruinam opulentiae, immissa est in eam plaga alia, per octo circiter menses. Post enim famem illam magnam, cum eius misertus esset Dominus, et esset abundantia, et seminare coepissent
20 homines, anno 871° venit in eam plaga gravis. Rabidi facti sunt et insani et daemone agitati, et exivit fama eorum ubique. Prodiit rumor inter eos: Ecce rex Persarum adest, et intrat per omnes portas. Et undique fugiebant clamantes: Amida a Persis capta est. E loco fugite! Et coeperunt latrare ut canes et
25 feles, et canere ut gallinae et caprae; et imitabantur voces omnium animalium. Iuvenes et puellae se invicem amplexabantur, * et currebant ad sepulcra, et canebant, et se invicem morde- * p. 200. bant, et proferebant verba lasciva, et adscendebant in parietes, et clamabant quasi in buccinis. Et cum veniebant ad ecclesiam,
30 alii genuflectebant et orabant, alii insiliebant et adscendebant super eos, tres aut quattuor unus supra alterum. Multi flebant, et multi ridebant. Pervenit haec plaga usque Tellam-Mauzelat et usque Edessam. Verumtamen non omnes *incolas attigit* sicut Amidenses, sed nonnullos in his civitatibus. Et ita dereliquit
35 Deus Amidenses ut intra ecclesias et in vicis devenirent ad lasciviam et impietatem, insilientes unus in alterum. Et post octo menses paullatim redierunt ad sanam mentem. Et postea eos assecuta est plaga tertia, lues, et xxx milia hominum Amidae mortua sunt

Anno 27° imperii Iustiniani adscendit Mundarus filius Š a-q ī q ā in ditionem Romanorum, et vastavit loca plurima[1]. Eum assecutus est Ḥareth filius Gabalae, et eum occidit in 'Ain 'Udayē[2], in regione Kenneshrīn. Mortuus est quoque in hoc proelio filius Ḥareth, qui vocabatur Gabala. Et sepelivit eum pater eius in quodam martyrio huius castri.

Hoc tempore, cecidit ignis in templum idolorum in Baalbek, magnum et mirabile, quod dicitur a Salomone filio Davidis aedificatum fuisse, et admiratione dignum erat.

LXIII. Mors Theodorae. — Et anno vicesimo regni Iustiniani mortua est Theodora imperatrix.

Omnia vero quae acciderunt in ecclesiis fuse scripsimus in libro historiarum ecclesiasticarum quem fecimus.

Etiam mors Iustiniani. — Et postquam regnavit Iustinianus * annos xxxiii et menses sex, defunctus est. Et regnavit post eum Iustinianus, filius sororis eius.

* p. 201.

LXIIII. Imperium Iustiniani imperatoris tertii. — Anno 874° regnare coepit Iustinianus, cum Sophia uxore sua, in urbe imperiali; erat Thrax genere patris sui, et mater eius erat soror Iustiniani imperatoris decessoris eius. Et podagra laborabat.

Anno autem primo regni sui, misit et adduxit e Smyrna machinam ingentem e lignis solidis, per quam homines deferentes ignem cum sollertia adscendebant et descendebant: quae vocatur catadromus. Et cum convenissent myriades hominum ad miserum spectaculum repente rupti sunt funes ob pondus lapidum magnorum, et proiecti sunt viri deorsum, et eorum sparsum est cerebrum et ossa confracta sunt; et multi e populo occisi sunt lignis et lapidibus quae ceciderunt.

Et anno secundo eius imperii, tremuit terra die quinta [mensis tešrīn prioris]; et post septem dies apparuit signum terribile: carbones descendebant e caelo sicut pluvia, similes foliis cannarum igni accensis.

LXV. Provocatio Persarum; et de obsessione Nisibis a Romanis. — Anno quarto regni Iustiniani, populus Armenorum

[1] Cf. supra, p. 152. — [2] Sic etiam Mich. syr. Scriptores arabici locum appellant 'Ain 'Ubagh.

rebellavit in Chosroem et auxilium petierunt Romanorum. Adiuvarunt eos et Persae devicti sunt. Scripserat Chosroes Iustiniano ut restituat ei populum Armenorum et loca quae ab eo eripuit, dicens: Incongruum est ut populis qui in regem suum
5 rebellarunt des manum eosque adiuves. Et cum iterum misisset Chosroes, nec obtemperavisset Iustinianus, rursum misit legatos tertia vice, * et tunc respondit ei Iustinianus iracunde: Nec populum, neque loca quae tu petis dabo tibi; immo et Nisibin paratus sum auferre, quae *olim* fuit Romanis, et non
10 armis capta est, sed pacto pro certis annis tradita est a Ioviniano imperatore, sicut scriptum est in archiviis utriusque regni, ut expleto tempore restituatur Romanis. Simul ac epistulas, misit imperator Iustinianus Mauricianum filium materterae suae, cum exercitu, ut Nisibin obsideret. Cum autem
15 progressi pervenissent usque urbem Daram, misit partem exercitus quae invasit fines Persarum; captivos et praedam fecerunt atque Daram reversi sunt. Quod cum vidissent Persae qui erant Nisibi, magno timore correpti sunt. Marzbanus autem Nisibis, cum esset vir astutus, callide egressus est ad Mauricianum du-
20 cem exercitus usque ad fines, et, cum eo locutus, petiit tempus quattuor mensium donec monuerit regem. Mauricianus, qui erat vir mitis et simplex, ei concessit, et Edessam reversus est. Persae autem induxerunt cibos Nisibin, et viridaria et hortos in circuitu urbis, usque ad iactum teli, absciderunt; christianos
25 qui erant in urbe expulerunt et regem Chosroem monuerunt. Imperator autem Iustinianus, cum audiret Mauricianum Edessam reversum esse, scripsit ei ut citius et sine mora descenderet obsidere Nisibin. Statim ac ei pervenit epistula imperatoris profectus est Mauricianus et pervenit Daram sabbato passionis;
30 dominicam Ressurrectionis celebravit Darae in civitate, et feria secunda apud Nisibin castrametatus est. Eam circumdedit undique et in eam instruxit pugnam validam; et prope erat ut civitas expugnaretur. Imperator autem Iustinianus valde iratus erat quod Mauricianus reversus est et, concessa dilatione,
35 Nisibi Edessam rediit. Et postquam scripsit ei ut procederet et impugnaret Nisibin, cum iam Mauricianus venisset et instituisset pugnam * validam, et cum omnes putarent Nisibin expugnandam esse, cum esset Chosroes ad flumen Tigrim, pa-

* p. 202.
* p. 203.

ratus occurrere Romanis, et cum prope esset civitas ut expugnaretur, advenit Acacius tribunus[1], vir brutus, missus ab imperatore Iustiniano, sine status consideratione, ut destitueret Mauricianum ab auctoritate et munus eius acciperet. Audito imperatoris mandato, petiit Mauricianus a tribuno ut duos dies ipsi concederet donec capta sit civitas. Is vero iratus est et non assensit. Et nocte, cum nemo animadverteret, discessit Mauricianus cum suis officialibus et profectus inde venit Daram in urbem. Illucescente die, cum videret exercitus Romanorum tentorium Mauriciani eversum et vexillum eius e suo loco ablatum, existimarunt eum aufugisse coram exercitu Persarum qui eis supervenerit; tumultus et perturbatio in castris orta sunt; se verterunt in fugam, et tentoria dereliquerunt dimittentes et arma, et machinas et cibos, atque Daram fugerunt. Exercitus autem Persarum qui erant Nisibi aperuerunt portas, egressi sunt et diripuerunt tentoria et quidquid derelictum est. Et hic exitus malus fuit exercitui Romanorum, anno 880°.

LXVI. De obsidione urbis Darae a Persis. — Cum autem rex Chosroes, qui castrametatus erat cum exercitu ad flumen Tigrim, audivisset ea quae acciderunt exercitui Romanorum, et horum fugam ab urbe Nisibi, progressus est usque Nisibin et invenit arma Romanorum; omnia cepit et venit obsidere Daram civitatem. Habebat secum Chosroes equitum xxiii milia, peditum xxxx milia, et rusticorum qui labori incumbebant cxx milia. Cum pervenisset et obsideret Daram, misit latomos qui resecarent montem orientalem et aquaeductus ab urbe abrupit, et flumen quod in valle profunda fluebat et in urbem introibat, *p. 204. * magno labore ab ea avertit; postea adegit operarios ut aedificarent lateribus murum extra murum urbis per circuitum. Ubi autem petra montis durior occurebat ignem accendebant super eam et postea effundebant acetum, et sic eam conterebant. Pugnavit adversus urbem die nocteque spatio sex mensium, et aedificavit in eam duas mulas. Et post sex menses, cum non potuisset urbem expugnare, consilium cepit discedendi. Et misit ad Romanos petens ab eis quinque κεντηνάρια auri, quae mulc-

[1] ἀρχέλαος. « Acacius cui cognomen Archelai Romani indiderunt. » (Joh. Epiph., *Fragm. hist. Graec.*, IV, p. 275).

tam imposuerat civitati, ut ab eis discedat. Sed a civibus responsum non obtinuit. Ferunt enim legatum qui a rege missus fuerat propter aurum, rem eis non dixisse, quia existimavit urbem non posse resistere. Idcirco iratus est Chosroes et coepit acriter impugnare. Alligaverunt ligna e mulis ad murum, et in murum transierunt et eum occuparunt. Romani vero qui in civitate erant confugerunt, ut ingrederentur in arcem; principes vero non aperuerunt portas, et inde Persae qui intraverant in urbem et Romani se invicem aggressi sunt et coeperunt gladio ferire et feriri per septem dies. Ceteri non potuerunt ingredi, adeo foetida erat urbs ob occisos. Inde crevit pugna adversus urbem; et contra turrim altam, quae appellatur Herculis, tres mulas erexerunt, et balistas quae magnos lapides proiciebant. Cives multum debilitati sunt, et non poterant prope turrim accedere; defecerunt obsessi; et iam Dara ob nostra peccata capta est. Rex videns occisos in media urbe, prohibuit caedem. Principum urbis manus caute ligavit. Et collegit aurum et argentum urbis, et crevit pondus ad ducenta κεντηνάρια, Quod cum videret Chosroes, ait principibus urbis: * Petet a * p. 205. vobis Deus vindictam totius sanguinis qui effusus est; cum tantum aurum possideretis cur non centesimam partem mihi dedistis, et discessissem a vobis? Et iuraverunt ei legatum, qui missus est, de auro nihil eis dixisse. Et numerus captivorum, praeter eos qui gladio perierant, fuit LXXXXVIII milium. A Dara condita usque ad hanc expugnationem *elapsi sunt* anni LXXII.

LXVII. De Mundaro, rege tribuum Saracenorum. — Tempore quo Mauricianus, dux exercitus, ab imperatore Iustiniano missus est obsidere Nisibin, scripsit imperator epistulam ad ipsum et *aliam* ad Mundarum filium Ḥaret qui regnabat in tribus Saracenorum tunc subditas Romanis, quae orthodoxae erant. Scripsit ergo has duas epistulas; in illa ad Mauricium, ducem exercitus, scripsit: Ecce scripsi Mundaro ut veniret ad te; tu autem astute sume caput eius. Scripsit rursum Mundaro, filio Ḥaret, ita: Scripsi Mauriciano ut sine te nihil faciat in administratione; lecta igitur hac epistula, vade ad eum. Deus autem misertus est Orthodoxorum. In errorem salutiferum induxit scribam, qui epistulae Mauriciani, postquam eam sigillavit, superscripsit nomen Mundari, et epistulae Mundari no-

men Mauriciani. Et, missis epistulis, detectus est dolus. Idcirco coepit Mundarus cavere sibi, et a bello cum Persis se expedivit.

LXVIII. De expugnatione Apameae. — Cum obsideret et impugnaret urbem Daram, rex Chosroes misit Ardahmonem[1] ducem exercitus, in regiones Syriae. Et pervenit usque Apameam civitatem. Fecit cum eis pactum et ingressus est urbem, et cepit mulieres et parvulos, * quos ligavit, et occidit viros, et depraedatus est civitatem opulentam; et iniecerunt ei ignem, et combussserunt civitatem. Et postquam populatus est et diripuit loca Syriae reversus est Daram apud Chosroem. Crevit autem captivitas quam abduxerunt Apamea et e locis Syriae ad CCLXXXXII milia animarum. Rex autem Chosroes gloriatione inebriatus descendit Nisibin.

* p. 206.

LXVIIII. De puellis electis. — Et iussit rex Chosroes eligi duo milia virginum pulcrarum, quae ornarentur vestibus aureis et sericis, et mitterentur munus regibus Turcarum barbarorum interiorum. Et praecepit ut quiete ducerentur, ne deficerent vel emacrescerent. Et dedit aurum in sustentationem earum abundantius. Hae vero lamentabantur ob perditionem suam, et non tam ob separationem suam a familia quam ob fidem christianam suam et suam corruptionem a barbaris. Cum pervenissent ad fluvium Tigrim consilium coeperunt virile et valde heroicum. Petierunt a custodibus licentiam recedendi ab eis ut seipsas lavarent. Et postquam paullum discessissent, steterunt ut orarent, mutua iuramenta sibi dederunt, et una cum alia crinibus ligata binae vel trinae, se proiecerunt in flumen et suffocatae sunt. Custodes vero qui sedebant infra locum quo erant illae, ad eas custodiendas, perspexerunt in flumen et viderunt cadavera earum aquis supernatantia. Et clamaverunt et luctu ulularunt, et voluerunt unam salvare, sed non potuerunt.

LXX. De morbo Iustiniani. — Cum autem audivisset imperator Iustinianus Daram expugnatam fuisse, Syriam direptam, Apameam vastatam, collegit exercitus ut bellum gereret adversus Persas. Et cum hoc consilium, cum magno angore meditaretur incidit in morbum gravem, et mansit ditio Romanorum annum et duos menses sine gubernatore.

[1] Vox syriaca corrupta; gr.: Ἀδααρμάνης (Evagrius), Ἀδορμαάνης (Theophil. Sim.).

Res urbis regiae et politiam * regebat comes Tiberius *genere* Thrax. Postea mentem amisit imperator et in morbum insaniae devenit: e loco in locum fugiebat, et veniebat ut e fenestris se proiciat; et quando apprehendebant eum eos mordebat. Ali- 5 quando ingressus est ad eum patriarcha Iohannes Sarminensis, chalcedonensis, quem commemoravimus in chronico ecclesiastico, et cum videret eum insanientem signo crucis signavit eum. Iustinianus autem ei dixit: Vade, signa te ipsum. Et elevata manu percussit eum in collo. Et mansit in hoc morbo duos 10 annos. Aliquando ad intellectum redibat et mentem sanam recuperabat; et suaserunt ei ut institueret Caesarem in imperio, quia negotia imperii impediebantur. * p. 207.

LXXI. Quomodo regnavit Tiberius, vivente Iustiniano. — Et vocavit Iustinianus Tiberium eique dixit: O Tiberi, animad- 15 verte a Deo tibi esse hoc munus: ipse, non ego, illud tibi dedit. Honora illud, ut ab eo honoreris. Tu, honora matrem tuam, quae erat domina tua. Noli gaudere in sanguine, neque consociari in caede. Ne reddas malum pro malo; noli me imitari in malis. Ego enim sicut homo deliqui, et ideo haec patior; 20 sed iudicium meum et iudicium consiliariorum meorum coram tribunali Christi reddetur. Ne in te, sicut in me, dominetur superbia. Considera quid fuisti et quid eris; et si haec meditatus eris non peccabis. Omnes qui hic adsunt filii tui sunt; tu enim scis quod prae omnibus mihi caris te magnificavi. 25 Curam habeas militum; ne audias calumniatorem. Noli aurem praebere iis qui tibi dicent: Sicut fecit decessor tuus, fac et tu. Haec autem dixi tibi, ob ea quae mihi acciderunt. Et postquam multa praecepta dedit ei, rursum addidit et flens ei dixit: Fili mi, Tiberi, veni, accipe regnum Iustiniani miseri, qui Deum 30 irritavit. * Veni, fili mi, ingredere et expelle miserum, qui se propriis oculis videt ab imperio reprobatum. Sim tibi causa terroris et tremoris coram Domino. Ne assentieris homini qui suadet tibi malum. Et dum haec dicebat, Tiberius prostratus erat in faciem et flebat, et omnes familiares qui ibi stabant 35 flebant. Tunc monuit imperator ut erigerent Tiberium, et ait militibus: Aperite portas custodiae palatii, et nemo arceatur, sed homines ingrediantur et Iustinianum imperio spoliatum videant. Et postquam plura dixit, eius iussu vestes regias attule- * p. 208.

runt et induerunt Tiberium, et coronam capiti eius imposuerunt; et statuit ut vocaretur Constantinus Caesar. Et postquam *veste regia* indutus est ei dixit: Si vis, sum, et si vis non sum. Et nunc Domine Deus, creator caeli et terrae, quae omisi perfice cum illo! Et conversus ad populum ait: Videte quid a Deo factum est et a nobis. Ibimus et spectacula vobiscum celebrabimus, et postquam laetabimur, gratias agemus Deo et orabimus ut gratia sua concedat nobis incolumitatem, et Tiberio Constantino Caesari optimo, qui a Deo datus est nobis filius, triumphum totius imperii nostri; concedat ei Deus ut inimicos suos devincat, et omnibus qui sunt sub manum eius benefaciat.

LXXII. Mors Iustiniani. — Post haec vixit Iustinianus quattuor menses, valde misere; nam stranguria torquebatur, ob calculos qui obstruebant eius testiculos. Et obtestabatur: Afferte gladium, et occidite me; nam nimis torqueor. Et cum venirent medici ut amputarent eum, obtestabatur ne parcerent sibi, ut e vita discedat. Dein, postquam amputati sunt duo eius testiculi, putridum factum est inguen eius et post novem dies mortuus est.

*p. 209. LXXIII. *Tiberius imperator. — Tiberius imperator regnare coepit anno 881°. Hoc tempore, regnante Tiberio, mortuus est Chosroes, postquam regnavit annos XXXXVIII, et ei successit filius eius Hormizdas.

Hoc tempore, timor replebat omnes civitates cis Euphraten; et assidui erant, nocte et die, dominicis et festis, in aedificandis muris civitatum; et omnes aerumna et timore capti erant.

LXXIIII. Adscensus Mundari apud Tiberium, et quae eius diebus acciderunt. — Cum audivisset Mundarus, filius Ḥareth, Tiberium regnare, adscendit apud eum, in urbem regiam. Et coepit imperator eum culpare quod non incidisset in Persas quando vastarunt Apameam, neque captivos liberavisset. Et postquam pluribus arguit eum, respondit Mondarus: Quidquid dixisti, verum est; poteram pugnare cum Persis. Verum, scito quamnam ob causam id neglexi. Et produxit epistulam quam misit Iustinianus ad Mauricianum, in qua scriptum erat: Ecce scripsimus Mundaro ut veniat ad te; tolle caput eius. Et cum haec didicisset, Tiberius Mundarum cum amore et honore ex-

cepit, et dona abundantia dedit ei. Et promisit Mundarus se strenue contra Persas dimicaturum.

Et sumpsit Mundarus exercitus Romanorum et Saracenorum, et terram Persarum ingressus est. Castrametati sunt ad castrum quoddam 'Anat vocatum. Decertarunt adversus illud vehementer; se armarunt et conscenderunt naviculas in aquis Euphratis, et e naviculis pugnam faciebant. Persae autem eos impugnabant e muro cum lapidibus balistarum, et multi *aquis* suffocati sunt et perierunt. Et recesserunt inde, regionem populantes et diripientes. Dux autem Persarum, cui nomen Ardahmon[1], qui ivit Apameam et vastavit eam, * Nisibi relictus erat a Chosroe. Dum 'Anat obsidebant Romani, venit Edessam, et eam vastavit inceditque, captivos fecit, multos perdidit, templa plura evertit, et venit versus Callinicum. Exercitus autem qui erant cum Mundaro ibi convenerunt; et cum incidissent alii in alios, multi e Persis occisi sunt. Et ad auroram diei sequentis cum parati essent rursum conserere praelium, sciens Ardahmon[1], se non posse pugnare cum Mundaro, astute misit et dixit: Crastina dominica ne faciamus pugnam, sed postridie, feria secunda, praelium conseremus. Romani autem assenserunt. Et sub vesperas manducarunt et biberunt Persae, et ignem ante portas tentoriorum accenderunt, pro more, ut putarentur ibi adesse, sed noctu profecti sunt et aufugerunt; mane autem nullus eorum inventus est. Transierunt autem ad Tellam-Mauzelat; hanc, etiam monasterium Cartaminense et regionem Turabdinensem populati sunt, et Nisibin venerunt.

* p. 210.

Mauricius vero dux exercitus Romanorum, qui missus fuerat cum Mundaro, cum reversus esset in urbem imperialem de pluribus accusavit Mundarum et « quod ipse Persas fugere fecit ». Imperator offensus est et Mundarum apprehendere quaerebat. Magnus autem syrus, curator, qui amicus erat Mundari, promisit imperatori se hunc capturum; quia Edessae habitabat Magnus et regionem Syriae tenebat. Venit quidem dolose, quasi se lavaret in thermis quae sunt versus Emesam. Et postquam descendit in pagum, elapsis aliquot diebus, misit ad Mundarum dicens: In infirmitate iaceo, et volo te videre. Miror amicitiam

[1] Cf. p. 162, n. 1.

tuam, quod tanto tempore hic sum et non venisti me visitare. Cum legisset epistulam, consilium coepit Mundarus eundi apud eum. Detulit munera magna, et profectus est cum parvo exer- *p. 211. citu; *quia non multum remoti erant unus ab altero. Cum autem didicisset Magnus eum profectum esse ut veniret, egressus est e pago et ivit habitare Emesam. Mundarus vero cum venisset in pagum et non invenisset eum profectus est apud eum in civitatem. Obviam ei egressus est Magnus, et eum cum pompa et honore excepit, dedit ei diversorium, et viros qui cum eo erant in civitate dispersit. Et cum ingrederetur Mundarus in convivium, disposuit Magnus viros qui eum apprehenderent; in vinculis eum coniecerunt et tradiderunt duci [1] civitatis qui eum imperatori in urbem imperialem mitteret.

Na'man autem, filius Mundari, cum audivisset patrem suum captum fuisse, collegit exercitus et coepit depraedari regionem Syriae et Magni. Imperator autem Tiberius mandavit Magno ut apprehendat filios Mundari et regnaret in Saracenos. Et cum venisset Edessam, Magnus coepit mittere ut Na'man filium Mundari decipiat: Si veneris ad me, te constituam in loco patris tui. Is vero, quia sciebat eius hypocrisim, adduxit quemdam saracenum, induit eum suis vestibus et eum cum viris numero paucis ad Magnum misit. Cum videret eum Magnus, non cognovit eum. Dixit ei: Tu es Na'man, filius Mundari? Ait illi: Ego sum, et secundum tuum mandatum veni. Tum detexit dolum cordis sui, et iracunde dixit viris qui coram illo stabant: Ecce hostis [2] imperatoris; conicite illum in vincula. Et cum ligarent eum subrisit dicens: Sicut voluistis decipere, decepti estis. Per Christum, non sum Na'man. Et cum vellet Magnus eum occidere, ait: Sive a te, sive a Na'man, mihi moriendum erat; cum enim venire reniterer, voluit me occidere; nunc veni, et tu me occisurus es. Sed coniecit eum in carcerem et eum non occidit. Et paulo post, mortuus est Magnus dux exercitus.

*p. 212. *LXXV. De morte Tiberii. — Tiberius igitur magna usus est liberalitate suo tempore. Iussit claudi telonia; remisit omnia vectigalia et multa beneficia contulit. Moriturus senatum convocavit et ait: Orate pro me, fratres; quia ecce iam incedo

[1] δοῦκας. — [2] ἀντάρτης.

in via aeterna; cum multis aliis quae afflictione corda audientium replebant. Magnus dolor invasit urbem, propter eum, quia mortuus est cum esset iuvenis gloriosus, non diebus satiatus. Nunquam fuerunt funeralia alius imperatoris sicut eius, 5 neque fecerunt Constantinopolitani luctum super alium imperatorem sicut fecerunt super Tiberium; quia erat bonus et humanus, et nunquam persecutionem diebus suis excitavit.

Et diebus eius ordinatus est pro Orthodoxis in sedem Antiochiae Petrus callinicensis.

10 LXXVI. De imperio Mauricii. — Post mortem Tiberii Caesaris imperatoris Romanorum, quae accidit anno 894°, Mauricius, ex urbe Arabisso oriundus, regnavit, eo quod erat gener imperatoris, et eum adhuc vivens regnare fecerat Tiberius, cum daret ei filiam suam Augustam[1] uxorem. Et adduxit parentes 15 suos, fratres[2] et sorores suas, in urbem imperialem eosque ditavit; patri suo viro seni, cui nomen Paulus, fratri suo cui nomen Petrus, et duabus sororibus suis, dedit aulas magnas, et vestes pretiosas, aurum et argentum; et totum genus suum successive ditavit et exaltavit, et in dignitatibus magnis et illustribus 20 constituit. Fecit patrem suum praesidem totius senatus et principem omnium patriciorum; fecit fratrem suum ducem omnium exercituum * in Oriente, et Domitianum cognatum suum metropolitam Melitenae fecit. Invenit Mauricius palatium quasi scopa mundatum et thesauros imperii exhaustos a Tiberio: nam 25 divitias immensas, diebus Anastasii et trium Iustinianorum collectas, omnes dispersit Tiberius, quia manus eius extensa erat ad dandum. Et ideo Mauricius manum claudere et esse parcus coactus est. Coepit igitur claudere manum, et ideo avarus appellatus est.

* p. 213.

30 LXXVII. De descensu Prisci, ducis exercitus, in Persidem. — Anno sexto Mauricii, Priscus dux exercitus Romanorum in Persidem cum ingenti exercitu descendit. Erat vir austerus, et non tulerunt nobiles austeritatem eius; et eum calumniati sunt apud imperatorem, qui eius loco virum nomine Germanum 35 instituit. Et venerunt exercitus, post absolutum bellum persicum, hiemare circa Antiochiam, adversus imperatorem rebellantes.

[1] Sic. Vocabatur Constantina. — [2] Fortasse leg. « fratrem ».

Et fuit hoc tempore hiems dura.

Et fuit terrae motus vehemens; tremuit terra vigilia feriae tertiae, die vicesima nona mensis kānūn prioris; et corruit maior pars Antiochiae.

Et misit imperator generum suum Philippicum, quem instituit praefectum militiae; et patriarcha Antiochiae milites cum imperatore reconciliavit. Is dux exercitus Philippicus in bellis suis claruit.

Cum ergo regnaret Mauricius, misit Mundarum in exsilium. Na'man autem filius eius audacia motus venit ad imperatorem et exceptus est. Iuravit ei Mauricius quod si prosperaret in bello adversus Persas, patrem eius remitteret. Na'man invitatus ut participaret oblationi in urbe imperiali, se excusavit et dixit: Omnes turmae Saracenorum iacobitae sunt; si rem percipiant me occident. Et hac de causa dimissus est, et oblationem a Chalcedonensibus non recepit.

* p. 214. LXXVIII. * Quomodo Persae civitatem Maiphercat expugnaverint. — Vir itaque romanus, cui nomen Sitas, custos erat civitatis. Huic blanditi sunt Persae qui Nisibi erant, multis muneribus, ut eis civitatem tradat. Inde continuo egrediebatur Sitas, cum equitibus romanis qui erant Maiphercat et veniebat circa Nisibin, et vinctos ex Persis ligabat viros strenuos qui ex industria Nisibi exibant. Ita multos ex Persis vinctos introduxit in civitatem Maiphercat, quot requirebantur ad dolum quem paratus erat facere. Et cum monuisset ducem exercitus Persarum, qui erant Nisibi, is venit cum exercitu obsidere Maiphercat. Sitas autem dimisit vinctos et arma dedit eis; hi irruerunt in urbem et multos *cives* occiderunt, et aperuerunt portas urbis, et qui foris erant ingressi sunt: et trucidarunt, depraedati sunt, captivos fecerunt et in urbe sederunt. His auditis, Philippicus, dux exercitus Romanorum, festinanter Antiochia venit Maiphercat; castrametatus est ad civitatem, et in eam pugnas duras instituit donec eam ceperit. Et occidit omnes Persas quos in ea invenit; et milites ad eam custodiendam posuit, et profectus est.

LXXVIIII. De persecutione Mauricii in paganos Ḥarran. — Hoc tempore, imperator Mauricius Stephano episcopo Ḥarran praecepit ut persecutionem in paganos huius loci excitaret. Is

episcopus, accepto hoc mandato, excitavit in eos persecutionem, et multi facti sunt christiani. Qui autem restiterunt, in duas partes eos gladio secabat, et partes eorum in vicis Ḥarran appendebat. Erat autem preafectus Ḥarran, hoc tempore, vir nomine * Acindynus[1], qui specie tenus christianus erat, secreto (* p. 215.) autem paganus. Et eius scriba, laicus qui appellabatur Honorius[2] episcopo denuntiavit eum. Eum crucifixerunt super collem qui est in urbe Ḥarran, et Honorius pro eo principatum in civitatem habuit.

LXXXX. De Chosroe filio regis Persarum, qui fuit gener Mauricii. — Anno 8° Mauricii, rebellarunt Persae in Hormizdam regem eorum; eum apprehenderunt et excaecaverunt. Et paulo post quam occaecatus est Hormizdas rex eorum, Persae regnare fecerunt in se Chosroem, filium eius, loco patris ipsius. Et vocatus est Chosroes Parwez (Berūz). Habebat autem ducem exercitus qui erat in Oriente cum copiis Persarum. Is vero cum rediret, post insignem victoriam, in itinere gradiens audivit quae Hormizdae fecerunt Persae, et quomodo huius filium post eum regnare fecerunt. Et quia exaltatus erat suis triumphis, sprevit puerum Chosroem, eum contempsit et in eum rebellavit. Secum abduxit exercitum suum et processit adversus Chosroem. Nomen autem rebellis, Bahram. Chosroes autem cum notum haberet adventum Bahram et eius rebellionem turbatus est et quid ageret nesciebat; nam plerique Persarum cum Bahram consentiebant. Chosroes igitur opportunum duxit auxilium quaerere apud imperatorem Romanorum. Et arcessivit ducem exercitus Saracenorum, qui habitabat Rosaphae et erat submissus Romanis, saracenum[3] christianum, cui nomen Abū Guphna Na'man, filium Mundari. Huic, cum venisset ad eum, dedit epistulas et ad Mauricium imperatorem illum misit. Dux celeriter pervenit apud Mauricium et ei porrexit epistulas Chosrois. Et ei accurate exposuit totum negotium[4] et etiam Chosroem paratum esse ut veniret ad imperatorem, si is ei permiserit. Mauricius autem * postquam legit epistulas Chosrois et intel- (* p. 216.) lexit quidquid in eis erat, annuit eius petitioni, mandavit ei ut ad ipsum veniret, et promisit se illi auxilium praestiturum. Et

[1] Αχίνδυνος. — [2] Mich. syr.: Ἰάριος. — [3] Leg. ܛܝܐ. — [4] ὑπόθεσις.

postquam reversus est Abu Guphna ad Chosroem eumque promissiones Mauricii edocuit, nemine advertente, e palatio suo exivit Chosroes, et velut eques promptus fines Persarum transgressus, in Mesopotamiam in civitatem Edessam pervenit. Ibi mansit donec ad ipsum pervenerit mandatum Mauricii. Eum autem excepit, in domo sua habitare fecit et magnis honoribus honoravit Iohannes Rosaphaya, princeps Edessae. Eum honoravit honore regio, qui superat sermonem. Quibus mercedibus Iohannem remuneravit Chosroes postea, roborante Domino, dicemus.

LXXXI. De convocatione Chosrois ab imperatore Romanorum. — Cum Edessae esset Chosroes, epistulam Mauricii accepit ut descendat Mabbug et ibi maneat donec responsum acceperit. Chosroes autem ad imperatorem epistulam supplicem scripsit, eum appellans patrem et dominum, et totum negotium suum ei exposuit. Melius mihi est, inquit, si mors mihi statuta est, ut manibus tuis procuretur finis meus quam manibus cognatorum meorum. Et supplicabat ut veniret in auxilium ipsius, promittens se fore ei *quasi* filium et servum, et omnes cives regni sui subditos imperatoris constituturum. Mauricius, accepta epistula Chosrois, omnes optimates Romanorum congregavit et coram illis epistulam Chosrois legi iussit. Et misit Iohannem, ducem agminis Thracum cum exercitu viginti milium hominum, et Anastasium ducem exercitus, qui secum habebat ex Armeniacis et bucellariis[1] *alia* viginti milia. Et misit ei quadraginta κεντηνάρια daricorum, pro expensis eius. Et cum pervenissent apud Chosroem, is iter suscepit versus regionem suam. Rebellis autem Bahram, postquam abiit Chosroes, * Ctesiphontem venit et potitus est regno et regio thesauro, incendit palatia regia et diripuit quidquid ibi inventum est. Cum vero audiret Chosroem redire se paravit ut bellum adversus eum gereret. Quando pervenit Chosroes in regionem Persarum, Rumiazan[2], dux exercitus, cum decem milibus Persarum venit, se iunxit castris Romanorum et partes Chosrois amplexus est. Se igitur paravit ad pugnam cum Bahram, et fuit inter eos proelium acerrimum:

* p. 217.

[1] I. e. « satellites regii ». Evagr.: Βασιλικὴ δορυφορία (VI, xviii). Ita etiam Barhebraeus, cuius textum temerarie mutavit Bedjan (p. 92) in « Bulgaros », et hunc inepte secutus sum in vertendo Michaele syro (p. 386). — [2] Theop.: Ῥουσμιάζαν.

rebelles autem tergum verterunt, multi occisi sunt, et reliqui se submiserunt Chosroi, eique restitutum est regnum. Postquam confirmatus est, dedit Romanis quidquid in praelio depraedati sunt et rapuerunt e copiis Persarum; dedit praeterea singulis equitibus quadringenti zūzē, et dimisit eos in Romaniam (Beth Romayē). Et Mauricio misit munera multa, pretiosos lapides et vestes cuiusque generis. Et restituit ei Daram civitatem, quae Romanis erepta fuerat. Et petiit a Mauricio ut daret ipsi filiam suam Mariam uxorem. Et libens excepit Mauricium petitionem eius, eique filiam suam dedit, quam misit cum honore et apparatu magno, et cum ea episcopos et clericos misit. Iubente autem Chosroe, aedificatae sunt pro uxore sua ecclesiae duae, altera sancti Sergii et altera Deigenitricis. Et missus est Anastasius, patriarcha Antiochiae, qui eas consecravit. Et fuit pax alta inter Persas et Romanos. Et Chosroes Mauricium tanquam patrem honorabat.

LXXXII. De persecutione quam in Orthodoxos fecit Mauricius. — Anno 17° regni Mauricii, qui est annus 910us Graecorum, reges decessores suos imitari volens Mauricius arcessivit Domitianum, metropolitam Melitenes, qui erat * filius Petri fratris sui, et dedit ei potestatem ut persequeretur fautores Severi, et eos ab ecclesiis eorum eiceret. Venit igitur in Mesopotamiam et persecutionem in fideles excitavit. Pervenit Edessam et in ea persecutionem magnam in Orthodoxos excitavit; convocavit monachos qui erant in monasterio Orientalium, et multis exagitavit eos, ut ab orthodoxia converterentur, sed non consenserunt; et rursum postquam ipse minatus est et illi non timuerunt, iussum dedit duci militum, qui cum eo missus fuerat ab imperatore et vocabatur sacellarius[1]; is autem abduxit eos ad fossam extra portam australem, quae appellabatur Beth-Šemeš, et eos omnes necavit una caede. Erant autem numero viri quadringenti.

* p. 218.

Hoc tempore fuit in urbe imperiali lues magna, et in ea *urbe* perierunt hominum myriades trecentae et octo.

Eodem anno fuit in Syria terrae motus, feria secunda, die decima nona mensis kanūn posterioris: et plures civitates vastatae sunt.

[1] σαχελλάριος.

Hoc tempore mortuus est Petrus patriarcha Orthodoxorum, et ordinatus est Iulianus.

LXXXIII. De caede Mauricii imperatoris. — Anno 20° Mauricii in eum rebellarunt eius exercitus, eo quod non dabat eis opsonia et munera, secundum morem imperatorum, quia confidebat non manere sibi inimicum. Et multi milites se congregaverunt et haec ei mandarunt: Deus pacem dedit in diebus tuis; sed pax equites non nutrit, nisi stipendia sua sumant. Si igitur nobis stipendia dederis, pro more, servi tui erimus; si autem non, inimici tui fiemus. Imperator autem Mauricius, imitans Roboam filium Salomonis, minas eorum non consideravit, sed eos contempsit. Dux autem eorum erat Petrus, frater imperatoris. Accesserunt ad eum et ab eo petierunt ut in ipsos regnaret * pro fratre suo; sed non consensit. Venit autem apud imperatorem, et huic notam fecit murmurationem militum, et quod ab ipso petierunt ut in eos regnaret. Haec cum a fratre audivisset, timuit Mauricius et fugit in civitatem Chalcedonem. Exercitus autem romani venerunt in urbem imperialem, et cum non invenissent Mauricium, si quidem fugerat Chalcedonem, ad eum inquirendum processerunt, et invenerunt eum; et adduxerunt eum in urbem imperialem, et occiderunt filios eius coram eo, et tandem ipsi vitam eripuerunt. Ab exilio dimissus est etiam Mundarus, rex Arabum, et abiit in regionem suam.

* p. 219.

LXXXIIII. Imperium Phocae. — Adduxerunt autem exercitus quemdam militem vilem, cui nomen Phocas, et in se eum regnare fecerunt, anno 914° Graecorum, anno 13° regni Chosrois.

De Philippico, genero Mauricii. — Philippicus, gener Mauricii, adiit Phocam, postquam is regnavit, et verba mala protulit in Mauricium, volens inde Phocae placere et cor eius sibi conciliare. Et dicebat ruinam Mauricii ipsius ope accidisse, et rogabat imperatorem ut propterea confirmet ei ordinem et honorem. Ad haec ei respondit Phocas: Ergo, amicus esse nobis paratus es, Philippice? Respondit: Sane, domine mi. Dixit ei imperator: Quomodo, cum bonus gener non fuisti, amicus sine dolo nobis eris? Discede. Qui fidem generi non servavit, neque

concordiam amico servabit. Et cum frustrata esset spes Philippici abiit, comam totondit et ingressus est monasterium.

LXXXV. De rebellione Narsetis, ducis exercitus, adversus Phocam; et de caede Severi, episcopi chalcedonensis Edessae. —
5 Cum regnare coepit Phocas, * erat patricius Syriae vir nomine *p. 220.
Narses, qui non adhaerebat imperatori. Phocas autem armavit exercitus Romanorum et misit eos adversus illum, ut eum apprehenderent. Hoc audito, discessit Narses Antiochia, cum parte sui exercitus, et Edessam venit, ut in ea rebellaret, ob fir-
10 mitudinem muri eius. Habebant autem Chalcedonenses, qui erant Edessae, episcopum nomine Severum, qui aedificavit palatium quod est Edessae ad flumen, et forum quod vocatur Porticus nova. Cum advenisset Narses Edessam, quidam Edesseni accusarunt episcopum quod sit amicus Phocae. Iussit Nar-
15 ses dux exercitus, et eum adduxerunt in aulam Marini, in qua ipse habitabat. Et cum interrogaret eum quid vellet, iussit, et eum abduxerunt per portam parvam urbis et reduxerunt per portam Cryptarum, ne sit tumultus in civitate ob caedem eius; et lapidaverunt eum in loco appellato κυνήγιον, prope caput
20 fontis, dum circa aulam Marini stabant omnes Edesseni qui nihil suspicati sunt donec lapidatus est.

Advenit autem dux exercitus, qui ab imperatore Phoca missus erat, vir nomine Iohannes, et castrametatus est apud Edessam. Per artificia et stratagemata sua Narsetem sine pugna
25 apprehendere potuit. Dedit verbum condonationis Edessenis qui cum illo rebellaverant, praeterquam Thomae Baridayae, qui ei e muro conviciatus erat; is, ipso iubente, occisus est.

LXXXVI. De his quae egit Chosroes, audita morte Mauricii. — Chosroes autem rex Persarum, cum ei nuntiata esset caedes
30 illegitima Mauricii, dolore et tristitia magna captus est, et ira furoreque repletus est; nigras vestes induit, et eum luxit tanquam patrem; et, congregatis copiis suis, locutus est cum eis de multis beneficiis quae ipsi contulit Mauricius, cuius ope
* etiam ei regnum restitutum est. Et iussit omnes milites suos *p. 221.
35 nigris vestiri, et postquam elapsi sunt dies luctus, congregavit iterum exercitus et dona eis dedit dicens: Paratus sum vindictam sumere a Romanis. Quis vestrum, o duces exercitus et optimates illustres Persarum, paratus est exsequi voluntatem

meam? Tum Rumiazan[1], vir strenuus, diligens et belli peritus, respondit et dixit: Ego paratus sum implere tuam voluntatem; et possum bellum committere cum Romanis; nihil me deterrebit, non declinabo ad misericordiam; nemini parcam; non verebor senectutem, non commovebor pueritia. Auditis his verbis, Chosroes valde gavisus est; et ait illi: Non iam vocaberis Rumiazan, sed Šahrbaraz, id est aper silvestris. Et ita, acceptis copiis petiit terram Romanorum, et post eum sequens Chosroes venit civitatem Daram obsidere; et post novem menses praevaluit in eam et cepit eam.

LXXXVII. De Iohanne Rosphaya, et de profectione uxoris eius in Persidem anno 919°. — Anno 5° Phocae, et 17° Chosrois, expugnarunt Persae arcem munitam Mardam post quam apud eam manserunt duos annos et menses sex. Et expugnarunt Persae Mesopotamiam et eius civitates, et eis imposuerunt tributum. Et statim ac Edessa potitus est Chosroes, uxorem Iohannis Rosaphayae in Persidem abduci iussit. Dicamus autem causam descensus eius. Cum olim Edessam venisset Chosroes, dum transibat ad Mauricium, ut supra exposuimus[2], aliquod tempus mansit Edessae; et deversabatur in aedibus Marini chalcedonensis, prope aulam Iohannis Rosaphayae; ambo autem, Iohannes nempe et Marinus, in auctoritate ordinis imperialis *Romanorum constituti erant; sed continuo invidiam Marini patiebatur Iohannes eo quod, praeter magnum honorem apud imperatorem, etiam divitiis et opibus plus quam Marinus abundaret. Aliquo die, cum Edessae habitaret, Chosroes prospiciens e cubiculo in aula Marini sito, adspexit et admiratus est splendorem aedificiorum palatii Rosaphayae, et cupivit aulam eius ingredi, et videre quae intus erant. Cum didicisset Iohannes Chosroem cupidum esse ingrediendi domum eius, fecit magnum convivium et vocavit principes et seniores urbis. Et eum honoravit tanto honore, ut dixerit Chosroes, vel in regno patrum suorum se nunquam quid simile vidisse. Passione quidem superbiae feritus Iohannes, voluit ostendere Chosroi se magis quam Marinum abundare divitiis; et produxit supellectile aureum et argenteum in toto ministerio convivii, ita ut mensae, scutellae, catini,

*p. 222.

[1] Cf. p. 170, n. 2. — [2] Cf. p. 170.

cochlearia, paropsides, calices ad bibendum, omnia vasa vinaria, ampullae, urcei, lagenae et trullae[1] aurea et argentea fuerint. Et postquam manducavit et bibit Chosroes, et se delectavit, vocavit Rosaphayam et ait ei: Magnopere nos honoras, ut decet virum magnum qualis es; verumtamen mos est regibus Persarum ut, quando dignantur ingredi domum alicuius e principibus eorum, omnino uxor huius principis procedat, misceat calicem et porrigat regi ut bibat. Si igitur cupis perfectum honorem facere, hoc modo conclude illum. Iohannes quidem erubuit ob ea quae audivit; sed noluit respondere regi Chosroi nec illum offendere. Negotium dimisit, ut ab uxore sua solutionem accipiat. Confidebat enim in sapientia uxoris suae. Vocavit ergo unam e puellis * et misit ei significans quae postulabat Chosroes. Cum autem nuntium illud accepisset, quamvis contemneret et sperneret eum, tamen respondit: Magnus es tu apud nos, o rex, et gaudium magnum comparavit nobis ingressus tuus. Attamen secundum ordinem vigentem et servatum in imperio Romanorum, uxor nobilis vinum viris non miscet. Quando hoc responsum accepit Chosroes, tacuit. Et cum soluto convivio discederet Chosroes in suum deversorium, calumniati sunt uxorem Rosaphayae coram Chosroe *dicentes*: Illa ait, Quomodo exirem ad hunc pedicosum, sua patria repulsum? Cum haec audiret Chosroes iratus est, et sibi statuit, per iuramenta deorum suorum: Si unquam fuerit mihi potestas in hanc regionem, pro opprobrio quo affecit me uxor Rosaphayae, non dimittam illam priusquam exulem a patria eius fecerim, et carnem eius pediculis comedere faciam. Et ideo statim ac Edessa potitus est, abduxit mulierem et eam in Persidem descendere fecit, et etiam Sergium, filium eius, qui unus superstes erat haeres Rosaphayae. Et mulierem coniecit in custodiam, et praescripsit ne effundatur in eam aqua, aut lavacrum, neve purgarentur vestimenta eius aut pro aliis commutarentur, utque dentur ei panis et aqua ad vitae conservationem. Et ita fecerunt erga illam, secundum mandatum regis, donec scaturivit pediculis qui eam torserunt longo tempore. Et in hac afflictione vitam suam in

* p. 223.

[1] Sensus incertus; sed lectio recta videtur collato arabico طشتخان « paropsis magna »

vinculis absolvit. Sergium autem, filium eius, in honore habebat rex, et inter commensales suos adscripsit eum, memor caritatis patris eius. Et post tempus rogavit Sergius regem Chosroem, ut ipsi permitat abire, ut videat et inspiciat possessionem suam. Et permisit ei rex, eo pacto ut redeat. Et cum venisset Edessam, 5
* p. 224. Sergius invenit domum suam vacuam ab * auro et argento, rebus pretiosis et bonis; non remanebant ei nisi pagi, horti, molendina et tabernae. Aurum autem et res argenteae in terra defossae erant a matre eius, et ignotus erat Sergio locus thesauri, qui non inventus est nisi anno 1113°, post ducentos annos, sicut 10 expondituri sumus; et dicemus de hoc thesauro, si voluerit Dominus, quo modo et a quo inventus sit. Sergius autem non reversus est apud Chosroem, sed duxit uxorem et genuit filios, et substantiam parentum suorum possedit.

LXXXVIII. Quomodo a Persis subiecta sit Mesopotamia, et 15 tota Syria, anno 922°. — Et anno 8° regni Phocae, 2° Chosrois, transierunt Euphraten Persae et submiserunt universam Syriam, et ab ea Romanos expulerunt. Šahrbaraz enim prosequens vestigia eorum, quocumque assequebatur eos debellabat, occidebat, vinciebat et vinctos ad Chosroem mittebat. Transiit omnia 20 loca Cappadociae et Galatiae, usque in viciniam Constantinopolis. Et quis est locus, qui ei restiterit quem non destruxit et perdidit, viros occidens et populum captivum abducens?

Et dum Persae tanta mala faciebant in Beth Romayē, Phocas intra fines, plus quam illi, immaniter agebat: occidit enim 25 optimates Romanorum, donec viris strenuis imperium privaretur.

LXXXVIIII. Quomodo episcopi chalcedonenses ab ecclesiis Mesopotamiae expulsi sint. — Postquam regnavit Chosroes in Mesopotamiam et ab ea expulit Romanos, praecepit quoque ut 30 episcopi chalcedonenses qui ecclesias tenebant ab eis expellerentur; et ecclesiae Iacobitis darentur, * qui eas possiderant
* p. 225. tempore Mauricii et a quibus expulsi fuerant per Domitianum Melitenes, spatium viginti annorum. Et omnino deleta est memoria synodi chalcedonensis ad orientem Euphratis. Et arcessivit Chosroes episcopos ab Oriente, quos in civitatibus instituit. 35 Ex eis erat Isaias Edessae, et Samuel Amidae, qui locum occu-

pavit Cyriaci, viri docti optimi et moribus scientiaque famosi, et fuerat ex eis qui a suis sedibus discesserant.

LXXXX. De caede Phocae imperatoris. — Cum magna mala inter Romanos causarentur, non solum a Persis, sed maxime ab 5 ipso imperatore Phoca, duo viri patricii, qui erant in Africa, auditis improbis Phocae moribus et crudelitate qua utebatur erga milites, meditati sunt rebellionem in eum. Nomen unius Gregorius, alterius autem Heraclius, viri provectae aetatis, et summae prudentiae, et in toto senatu non erat eis praestantior. 10 Gregorius quidem habebat filium nomine Nicetam; Heraclius etiam habebat filium, Heraclium nomine patris sui appellatum. Hi viri zelo commoti dederunt uterque filio suo exercitum congruum et eos miserunt Phocam impugnare, eo pacto ut si praecesserit Nicetas Heraclium et prior venerit Constantinopolim, 15 ipse regnaret in Romanos; si vero Heraclius praecesserit Nicetam, ipsius esset imperium. Sancitum est inter eos quod Nicetas arida tenderet et Heraclius mari navigaret. Et cum profecti essent, ortus est ventus secundus navigationi Heraclii, in omni tranquillitate et sine impedimento. Et appulerunt in quodam 20 portu urbis imperialis. Valde praecessit * Nicetam Heraclius; * p. 226. et obviam ei exivit tota civitas, senatus et plebs, et cum magna pompa eum introduxerunt. Et occiderunt Phocam, et regnare fecerunt Heraclium. Occisus est autem Phocas postquam regnavit annos octo.

25 LXXXXI. Imperium Heraclii imperatoris. — Anno 922° Graecorum, 21° regni Chosrois, initio mensis ēlūl, regnare coepit Heraclius. Et cum sederet in trono imperiali misit legatos ad Chosroem petens ab eo pacem. Chosroes autem non solum non annuit pacem componere, sed etiam minas protulit in Romanos.

30 LXXXXII. Quomodo Persae Syriam subiecerint. — Revertente anno, die octava mensis tešrīn prioris Antiochiam expugnaverunt Persae, et die decima quinta eiusdem mensis expugnaverunt Apameam, et venerunt Emesam Phoeniciae: et ei dederunt verbum et se submisit Persis. Hoc anno in Syriam 35 venit exercitus Romanorum; eis occurrit exercitus Persarum, et commissum est praelium, et plerique Romani trucidati sunt.

Hoc anno, Bahram, dux exercitus Persarum, Caesaream, ur-

bem Cappadociae obsedit: incolarum partem necavit et multos captivos fecit, et reversus est.

Et anno 4° Heraclii, Persis Damascum subiecit Šahrbarāz et consenserunt Damasceni dare tributum.

LXXXXIII. Expugnatio Hierolosymorum a Persis. — Anno 6° Heraclii, 27° Chosrois, impugnavit Šahrbaraz civitatem Hierosolyma, et eam gladio expugnavit. Occidit in ea nonaginta milia christianorum. Iudaei autem propter odium suum emebant eos vili pretio et occidebant eos. Captivum fecit Šahrbarāz Zachariam episcopum chalcedonensem Hierosolymorum, et eum misit in Persidem * ad Chosroem, cum ligno pretioso crucis et thesauro auri et argenti. Iudaeos autem e Hierosolymis in captivitatem abduxit.

*p. 227.

Et anno sequenti ingressus est Šahrbarāz Aegyptum, et Persis submisit etiam Alexandriam; et in ea caedes plurimas patravit.

LXXXXIV. De initio imperii Saracenorum, et de Mohammedo eorum duce, qui ab eis propheta et Dei apostolus appellatur. — Anno 933° Graecorum, 12° Heraclii, 33° Chosrois, vir quidam nomine Mohammedus e gente Coraishitarum, prodiit in regionem Iathrippensem et dixit seipsum esse prophetam. Sciendum est autem nomine communi omnes Saraceni Arabes appellari, e nomine communi Arabiae Felicis, quae fuit terra incolatus eorum, sita a Septentrione ad Austrum ab Euphrate flumine ad mare australe; ab Occidente autem ad Orientem, a mari Rubro usque ad sinum maris Persici; appellationibus vero multis nominantur secundum gentes maiorum suorum.

Is igitur Mohammedus, quem diximus, cum esset aetate adulta coepit adscendere et descendere e Iathrippis eius civitate in Palaestinam, negotii causa. Et in hac regione conversatus, novit confessionem in unum Deum, quae ei multum placuit. Cum autem rediisset ad contribules suos, hanc confessionem coram illis exposuit, et cum nonnullos persuasos fecisset, isti ei adhaeserunt. Praeterea, celebrabat coram illis excellentiam regionis Palaestinensis, dicens: Propter hanc in unum Deum confessionem data est eis terra tam bona et fertilis; et addebat: Si me audiveritis etiam vobis dabit Deus * terram bonam, lac et mel fluentem. Et cum sermonem suum corroborare vellet, duxit

*p. 228.

turmam eorum qui ei adhaeserant, et coepit progredi in regionem Palaestinae et grassari, populari, depraedari. Et reversi sunt onusti sine detrimento, et non frustrata est promissio eius eis facta.

5 Itaque cupido possessionum ut in consuetudinem haec agendi ratio vergeret effecit, et coeperunt adscendere, depraedari et reverti. Qui nondum adhaeserant ei, cum viderent eos qui ipsum sequebantur copia divitiarum abundare iam sine resistentia in eius obedientiam attracti sunt. Et postea, cum ipsi adhaere-10 bant viri multi, ingens exercitus, non amplius ipse deduxit eos in depraedationem, sed Iathrippis, in sua civitate, honorifice sedebat. Et cum rursum mitterentur, non satis fuit eis huic regioni Palestinae institere, sed etiam in longinquum procedebant, aperte trucidabant, captivos faciebant, vastabant et de-15 praedabantur; et neque id satis erat eis, sed tributarios et sibi subditos faciebant populos. Et ita paullatim praevaluerunt et diffusi sunt, et creverunt adeo ut fere totam dicionem Romanorum et imperium Persarum in suam potestatem redigerent. Facta est ergo potestas eorum regnum fixum, et successiva 20 transmissione de viro in virum, per eos qui ei praefuerunt rectores, potentissimum evasit, prout placuit decretis Dei qui vult nos ob peccata nostra castigare.

LXXXXV. De confessione et legibus eorum. — Quia diximus de ratione, de initiis et de commotione Mohammedi primi regis 25 Arabum, dicemus etiam de legibus et praeceptis quae iactitabat a Deo sibi data ut eis imponeret. Docuit eos igitur * profiteri unum Deum factorem omnium, quem non appellavit Patrem neque Filium, neque Spiritum, sed divinitatem unam personnam, et unam hypostasim, quae « nec genita est nec gignit, neque 30 consortem habet ». Recipit autem Moysen et eius librum. Evangelium quoque recipit, sed non admittit Christum crucifixum fuisse. Existimat autem Christum fuisse virum iustum, et honoratum inter prophetas, natum e virgine sine coniugio, sicut Adamus e terra creatus est verbo Dei; sed non admittit 35 eum crucifixum fuisse, bene vero fecisse miracula et mortuos suscitavisse; cum vero manus in eum iniecerunt Iudaei, occurrit eis vir alius, ei similis, quem crucifixerunt, dum ipse Christus vivus elevatus est in quartum caelum, ubi est usque ad

* p. 229.

finem; et iterum venturus est in terram, et ipse iudicabit homines in die resurrectionis, mandato Dei. Confitentur etiam resurrectionem, et retributionem operum. Paradisum autem profitetur sensibile et valde crassum: cibus, potus et coniugium cum mulieribus visu pulcerrimis, accubitus super lectulos aureos strataque coralii et topazii, flumina lactis et melis. Profitentur etiam finem fore supplicio, quod unusquisque propter peccata ab eo commissa patietur, et postea inde exibit in paradisum. Coepit etiam permittere ut matrimonium legitimum iniret vir cum mulieribus liberis quoties vellet, et cum ancillis quoties posset; *permisit* etiam viro dimittere uxorem et dare ei libellum repudii, secundum legem mosaicam. Docuit etiam orandum esse quinquies in die, postquam se lavarunt, absoluta necessitate, ante orationem. Ieiunium autem xxx dierum fit in anno, certo mense quem r a m a dh a n vocant: et cum ieiunant per diem, permittit eis per totam noctem comedere. Observant etiam circumcisionem masculorum * et feminarum. Adoratio eorum tempore orationis fit versus austrum. Coordinatus est etiam liber ille quem dixit Mohammedus sibi in mente a Deo infusum per angelum: et illum vocant librum divinum.

* p. 230

LXXXXVI. De his quae acciderunt in mundo eo anno quo apparuit Mohammedus. — Hoc anno expugnavit Šahrbaraz Ancyram Galatiae et etiam insulas plures in mari, et caedes multas commisit. Et induratus est Chosroes; et exaltatus est et de victoriis gloriatus est. Et quis posset lamentationes componere super ea quae homines hoc tempore passi sunt oppressione et caede: quot captivitates deplorandae! quot depraedationes, quot raptus, quot exactiones crudeles, quot tributa gravia, quot lapides, tabulae et columnae marmoreae ex ecclesiis in Persidem delata, necnon crustae aureae et argenteae! Hoc tempore, omne argentum quo refulgebat ecclesia magna Edessae detractum est et missum est in Persidem ad regem Chosroem, propter inimicitiam quae exorta est inter Cyrum praefectum Edessae et cives. Cum enim eum aemularentur quidam indocti ex Edessenis, secundum consuetudinem eorum pravam illum accusaverunt apud Chosroem; ille autem tulit universum thesaurum omnium templorum Edessae, et thesaurum ipsius ecclesiae magnae; eripuit argentum insertum ciborio supra altare erecto,

quattuor eius columnis, et omnibus columnis quae erant ante sanctuarium, et suggestui in media ecclesia. Inventum est pondus argenti CXII milia librarum; et illud regi Chosroi misit.

XCVII. De edicto a rege Chosroe prolato ut Edessa in captivitatem descenderet. — Anno 18° regni Heraclii, iussit * Chosroes ut in Persidem descenderent Edesseni, in captivitatem, et scripsit marzbano, Edessae praefecto, ut id citius expleret. Marzbanus autem vir erat pacificus, mitis et misericors. Ei placuit non una vice congregatim captivitatem mittere, sed paullatim, quia sperabat condonationem a parte regis. Et coepit mittere eos per singulos vicos. Cum autem fama referret Heraclium descendisse in Persidem, hac de causa cessavit Edessa descendere in captivitatem. Attamen duo vici illi Euphraten descenderunt et usque Dasgertam pervenerunt. Descenderunt quoque nonnulli ex optimatibus civitatis: quorum unus erat Sergius, filius Iohannis Resphayae quem supra commemoravimus [1] qui captus fuerat simul ac sua mater.

* p. 231.

Hoc anno fuit defectio solis, et amisit lucem dimidia sphaera eius, a mense tešrīn priore usque ad ḥazīrān, ita ut dicerent homines eius sphaeram nunquam in pristinum statum reversuram.

LXXXXVIII. De castris Persarum adversus Constantinopolim. — Anno 936°, Heraclii 14°, Chosrois 35°, et tertio Mohammedi, misit Chosroes Šahrbaraz [et Cardiganem [2], duces exercitus Persarum, cum copiis multis et instrumentis bellicis, qui venerunt obsidere Constantinopolim a parte occidentali urbis. Obsidionem protraxerunt per novem menses, cum Heraclius imperator esset in urbe et a Persis premabatur. Postea, rebellarunt Persae adversus regem eorum et pacem composuerunt cum Heraclio huiusmodi causa: cum quidam calumniati essent Šahrbaraz, ducem exercitus, quasi « deridet regem, eumque appellat superbum et malefactorem qui de alienis victoriis gloriatur », scripsit Chosroes duci Cardigani, collegae ducis Šahrbaraz, ut hunc apprehendat eiusque caput abscindat. * Legatum vero epistulae latorem, cum pervenisset in Galatiam, apprehenderunt Romani, necnon eos qui eum comitabantur et curam habebant

* p. 232.

[1] Cf. p. 176. — [2] Sic male ms. Lege Cardarigam. « Καρδαρίγας, apud Persas, summi ducis dignitas habetur » (Theoph. ad A. C. 575).

illum transducendi, et eum vinculis constrictum ad imperatorem Heraclium miserunt. Et sic pervenit ad urbem regiam, quin ullus ex exploratoribus Persarum eius notitiam habuerit. Cum autem accurate didicisset Heraclius a legato causam ob quam missus est mandavit secreto Šahrbaraz et iuramentis eum certiorem fecit quod propter negotium ad eum spectans vocat illum. Et ingressus est ad ipsum. Tum ostendit Heraclius duci Šahrbaraz epistulam Chosrois ad Cardiganem; legatum etiam adduxit et statuit coram illo; quem cum vidisset Šahrbaraz, eum agnovit. Postquam legit epistulas et rem accurate a legato didicit, recessit ab Heraclio et venit in castra secumque deliberavit quid sibi agendum sit. Mente concepit strategema valde astutum, quod feliciter successit. Mutavit enim epistulam Chosrois, aliam pro ea scripsit, et addidit in ea ut etiam cum Šahrbaraz occiderentur CCC duces illustres, noti et famosi inter Persas, ille et ille. Et apposuit sigillum in epistulam eamque obsignavit. Postea convocavit principes Persarum et Cardiganem cum eis. Et, lecta epistula coram principibus, ait Šahrbaraz Cardigani: Placetne tibi id facere? Quid dicis? Et vos duces, quid dicitis? Isti autem principes ira incensi coeperunt Chosroi conviciari et statuerunt pacem componere cum Heraclio et huic dare quidquid peteret ab eis, ut fiat eis adiutor in perditionem Chosrois. Miserunt ergo ad Heraclium et inierunt cum eo concordiam et pacem; et dederunt ei, in confirmationem pacti inter eos sanciti, obsides quos ipse imperator elegerat ex filiis et fratribus Persarum, et inter eos erat * ipse filius ducis Šahrbaraz. Pactum erat ut proficiscerentur et ab urbe recederent Persae, Heraclius autem sumeret exercitum Romanorum bello Chosroem aggressurus. Persae igitur profecti sunt Europa Asiam versus. Heraclius autem mandavit regi Chazarorum ut ipsi mitteret in auxilium XL milia *hominum* e regione Caspiensi. Et mandavit ei Chaganus rex: Ecce mitto eos qui tecum convenient ubi volueris. Et Chagano promisit Heraclius se filiam suam Eudociam in uxorem ei daturum esse.

* p. 233.

Hoc tempore exarsit Heraclius passione concupiscentiae carnalis et audacter sprevit Deum, legem ecclesiasticam et legem naturalem, et duxit uxorem Martinam filiam fratris sui; et ex

ea illi natus est Heracleonas, filius illegitimus, praeter eos qui ei ex uxore priore nati erant.

LXXXXIX. Descensus Heraclii in Persidem. — Heraclius autem ex urbe regia cum exercitu magno profectus est et iter 5 direxit per Armeniam; quocumque vero perveniret Persas ex civitatibus expellebat populosque sub auctoritatem Romanorum reducebat. Chosroes autem, cum audiret Šahrbaraz et exercitus Persarum in ipsum rebellavisse, Heraclium etiam profectum ut descenderet in regionem ipsius, perturbatus est et pusillanimis 10 factus est, nam copiae pleraeque Persarum in Occidente sparsae erant, in Syria, in Palaestina et in Aegypto. Attamen collegit exercitum quantum potuit et ei ducem praefecit virum cui nomen Ruzbihan, eumque iussit progredi obviam Heraclio et cum eo praelium conserere. Et venit Ruzbihan, et tendit in 15 Assyriam, ut praelium cum Heraclio committeret. Heraclio autem se iunxerant ex Armenia copiae multae Armenorum, et Persae, et Chazari a Chagano missi, * et pervenerant ut grassarentur in regiones Mediae et in regionem Adharbiganam. * p. 234.

Cum autem audivisset Ruzbihan Heraclium advenisse festi- 20 navit ei ocurrere ad flumen quod est in regione Assyriae et vocatur Zabas. Consertum est praelium vehemens, et tergum verterunt Persae, et occisi sunt multi eorum, etiam occisus est Ruzbihan dux exercitus; et occupaverunt Romani castra eorum. Ubi autem audivit copias suas confractas esse Chosroes aufugit 25 ab urbe regia et omnia gazophylacia et thesauros suos dereliquit. Erat autem in arce seu castello quod aedificaverat ad orientem Ctesiphontis, circiter duas parasangas. Eum persecutus est Heraclius et, ingressus arces eius, rapuit et praedatus est quidquid inventum est in palatiis regiis, arcem igni incendit, 30 et totam regionem Bēth Aramayē diripuit vastavitque.

C. De morte Chosrois et de regno filii eius. — Siroes autem, filius Chosrois, in carcere a patre suo detinebatur; cum audivisset fugam patris sui coram Heraclio, e carcere egressus est, et prosecutus patrem suum Chosroem eum occidit die nona men- 35 sis šebāṭ; et regnavit post eum. Chosroes autem annos XXXVIII regnaverat.

Heraclius autem imperator, post victoriam suam et direptionem imperii Chosrois, reversus est hiemare inter Assyriam et

Armeniam, ut rursum persequeretur Chosroem; nondum enim audiverat eum a filio eius occisum fuisse.

Siroes autem, accepto regno, nuntium caedis patris sui misit Heraclio, et cum eo pacem composuit ac concordiam, hac lege ut Heraclius omnia loca quae olim fuerant Romanorum acci- 5 peret, Persae intra limites suos antiquos remanerent, et qui ex ipsis adhuc in regionibus Occidentis erant in Persidem regrederentur.

* p. 235. * Regnavit autem Siroes in Persas, anno 19° Heraclii, 7° Mohammedi. Tum profectus est Heraclius ex Oriente ut in Syriam 10 veniret. Et misit ante se fratrem suum Theodoricum, qui expelleret Persas in civitatibus habitantes, secundum pactum inter ipsum et Šahrbaraz primum, inter ipsum et Sirōem deinde sancitum.

CI. De adventu Theodorici Edessam. — Theodoricus frater 15 imperatoris transibat per civitates Mesopotamiae et Persis, qui in eis essent, ut exirent et in patriam suam abirent significabat. Etiam praemoniti fuerant epistulis Šahrbaraz et Sirōis de pace inter Romanos et Persas inita. Imperator vero vestigiis fratris sui institebat et adveniens gubernatores et praesidia Romano- 20 rum in civitatibus instituebat.

Cum autem pervenisset Edessam Theodoricus, Persas in hac urbe de eis quae facta sunt et de adventu imperatoris monuit. Persae vero eum contempserunt, verbis eius non assensum dederunt, et ei responderunt: Sirōem nos ignoramus; urbem Ro- 25 manis non trademus. Stabant autem supra murum cum Persis etiam Iudaei qui habitabant Edessae, et tum propter odium suum Christianorum tum ut gratum agerent Persis, despiciebant Romanos, deridebant Theodoricum et conviciis amaris eum perstringebant. Tunc Theodoricus in urbem instituit pugnam vehe- 30 mentem, eamque pressit iactu lapidum ballistarum. Persae autem qui in civitate erant, in augustias redacti, acceperunt verbum pacti ut exirent et abirent in terram suam.

Quidam autem iudaeus, nomine Ioseph, timens ruinam civium suorum, se ipsum demisit e muro et profectus est ad Heraclium; 35 hunc invenit Tellae Mauzelat; apud eum ingressus est et sup-

* p. 236. plex ab eo rogavit ut dimitteret civibus suis * crimen, quia conviciis affecerunt Theodoricum fratrem eius, utque huic ne

vindictam sumat ab eis mandaret. Theodoricus autem ingressus Edessam et ea potitus eiecit Persas ut abirent in patriam suam, et omnes Iudaeos qui ipsi conviciati erant congregari praecepit, et cum iam coeperet eos occidere et eorum domos diripere, 5 subito advenit Ioseph iudaeus, sacram imperatoris Heraclii deferens, qua prohibebat fratrem suum ne noceret eis.

CII. De adventu Heraclii Edessam. — Tum profectus est Theodoricus Edessa et transiit Euphraten venitque Mabbug, ut Persas qui in Syria et Phoenicia essent expelleret. Hisce diebus 10 pervenit imperator Heraclius Edessam et in palatio quod est ad caput fontis deversatus est. Cum quodam die descendisset ut oblationem acciperet in ecclesia magna, obviam ei occurrit Isaias, metropolita civitatis, et ex nimio fervore sui zeli aut, ut verius dicam, ob suam simplicitatem et rusticitatem prohibuit 15 eum sumere oblationem, dicens: Nisi prius anathematizaveris in scriptis synodum Chalcedonensem et Tomum Leonis, non dabo tibi oblationem. Inde ira exscandescit imperator, expulit episcopum ab ecclesia et hanc Chalcedonensibus, suae fidei fautoribus, tradidit.

20 Hoc tempore erant Edessae principes nobiles, gens Resphaya, et gens Tellmaḥraya, et familia Cosmae filii Arabi, et gens Nalar (?). Ab istis vel a patribus eorum omnes res pretiosae auri et argenti, et horti, et molae, et cauponae, et balnea ecclesiae magnae assignata fuerant. Verumtamen non potuerunt hoc 25 momento imperatoris edicto obsistere; expectabant donec profectus erit imperator et petierit Beth Romayē, ut cum episcopo suo in ecclesiam redirent et ea potirentur. Sed Deus ultionum, qui * potestatem habet in imperium terrenum, et cui vult dat illud, et humiles erigit in illud, videns supereffluentem men- 30 suram criminum Romanorum qui omnimoda crudelitate erga populum nostrum et ecclesias nostras utebantur, ita ut prope erat confessio nostra ut evanesceret, excitavit et adduxit e regione australi filios Ismaelis, gentem contemptibilem, despectam et ignotam inter populos terrae, ut ope ipsorum salus nobis 35 procuraretur. Et hoc modo non mediocriter profecimus, quia ab imperio tyrannico Romanorum liberati sumus; damnum tamen passi sumus, eo quod ecclesiae catholicae, quae ereptae fuerant populo nostro oppressione Heraclii et datae Chalcedo-

* p. 237.

nensibus eius fidei fautoribus, remanserunt in manibus eorum usque hodie. Nam cum urbes pactum facerent, tempore quo aperiebantur et se submittebant Saracenis, hi singulis confessionibus templa dederunt quae in earum possessione invenerunt. Et hoc modo erepta est Orthodoxis ecclesia magna Edessae, et etiam ecclesia Ḥarran, et successive ecclesias totius Occidentis usque Ierusalem. Civitates vero omnes Mesopotamiae salvatae sunt; nam ab Edessa coepit persecutio, quemadmodum exposuimus.

CIII. De morte Sirōis; de caede filii eius et de regno Šahrbaraz. De pretioso ligno crucifixonis. — Edessa profectus, Heraclius transiit Euphraten et ivit usque Ierusalem; et inde venit Antiochiam, et exinde Mabbug reversus est.

Hoc tempore mortuus est Sirōes, rex Persarum. Et regnare fecerunt filium eius nomine Ardašīr, et postquam parvum tempus regnaverat, occidit eum Šahrbaraz, qui regnavit eius loco, et confirmavit pacta et iuramenta inter ipsum et Romanos sancita. Et scripsit epistulas Persis qui erant in Aegypto et Palaestina ut exirent et descenderent * in Persidem. Et anno 941°, anno 19° Heraclii, 8° Mohammedi, non mansit vir persa qui non transierit Euphraten. At ortum est bellum inter Persas: alii favebant Šahrbaraz; alii sequebantur Cardiganem. Mandavit Šahrbaraz Heraclio, qui ei misit Romanorum exercitum, et praelium commisit cum Cardigane eumque occidit; et remansit imperium Persarum penes Šahrbaraz. Imperator igitur Heraclius petiit a Šahrbaraz ut restitueret lignum crucifixionis, quod ab eo ablatum fuerat quando Ierusalem diripuit, anno 6° Heraclii. Et alacriter remisit Šahrbaraz lignum crucifixionis cum muneribus magnis. Et cum esset Mabbug Heraclius, ad eum pervenerunt qui lignum deferebant: ei obviam egressus est et cum honore illud excepit.

Hoc tempore vocatus est apud Heraclium, cum is esset Mabbug, Athanasius patriarcha, et ingressus est ad eum cum XII episcopis. Et ecce hac de re scripsimus in libro de rebus ecclesiasticis.

CIV. De caede Šahrbaraz, et de his quae acciderunt hoc tempore. — Anno 942°, Heraclii 20°, Mohammedi 9°, occisus est Šahrbaraz a viro e propinquis Chosrois, et in Persas regnavit

Bāram, filia Chosrois, breve tempus, et mortua est. Post eam regnavit Zarmandōcht[1] soror eius.

Hoc anno defunctus est Athanasius patriarcha.

Post duos annos dissidium exortum est in populo Persarum; nam quidam volebant regnum committere Iezdegerdi filio Chosrois, alii cupiebant virum cui nomen Hormizdas. Et regnavit Iezdegerdes puer cum sorore Zarmandōcht.

CV. De morte Mohammedi ducis et primi regis Hagarenorum. — Anno 943°, Heraclii 21°, mortuus est Mohammedus rex * Saracenorum, postquam rexit imperium annos decem. Morti autem proximus iussit regnare in Saracenos Abu Bekr, qui pater erat uxoris ipsius 'Aïšah. Mohammedus autem originem ducebat ab Ismaele filio Abrahami, quem huic genuit Hagar. (* p. 239.)

Ismaeli itaque fuerunt filii isti: Nabaioth primogenitus, et Cedar, et Arbel, et Mabsam, et Masma, et Ruma[2], et Massa, et Hadar, et Thema, et Nethur[2], et Naphis, et Cedma[3], et Ocaidus[4]; is vero Ocaidus genuit Ḥamlum, et Ḥamlus Salamanum, et Salamanus Nabetum; et Nabetus genuit Homaisam, et Homaisa Dādum[5], et Dādus genuit Odum[6]; et Odus genuit Adnanum[7], et Adnanus genuit Maadum, et Maadus genuit Nezārum, et Nezārus genuit Rabi'ah[8], et Rabi'ah genuit Moradhum[9], et Moradhus genuit Aliasum, et Aliasus genuit Modrechah, et Modrechah genuit Chozaimah, et Chozaimah genuit 'Ananum[10], et 'Ananus genuit Nodharum, et Nodharus genuit Malechum, et Malechus genuit Fūrum[11], et Fūrus genuit Gālebum, et Gālebus genuit Lowayum, et Lowayus genuit Chaabum, et Chaabus genuit [Morrah, et Morrah genuit][12] Chelabum, et Chelabus genuit Cōṣum[13]; et Cōṣus genuit Abdchalīfum[14]; et Abdchalīfus

[1] I. e. Azarmidocht (Nöldeke, *Tabari*, p. 393, n. 2). — [2] Sic. — [3] Hucusque e *Gen.*, xxv, 13-15; cf. I Parall., I, 29. Sequentia nomina, ex Arabum traditionibus sumpta, plus minus recte transcripta sunt. Scriptores arabici genealogiam Mohammedi exacto consensu non tradunt nisi quoad generationes Adnano posteriores. — [4] Abulfeda: Kidarus. — [5] Abulf.: Oddus. — [6] Abulf.: Ododus. — [7] Ms. 'Odīan; restitue: ܥܕܢܢ. — [8] Abulf. omisit. — [9] Abulf.: Modharus. — [10] Abulf.: Kenanum (l. ܟܢܢ). — [11] Abulf.: Fehrus. — [12] Addit Abulfeda. — [13] Abulf.: Cosayus. — [14] Abulf.: Abd Menafi (l. ܡܢܦ).

genuit Hašīmum, et Hašīmus genuit Abdalmothallebum, et Abdalmothallebus genuit Abdallam et duodecim fratres eius; Abdalas autem genuit Mohammedum, qui fuit primus rex, ut mox diximus.

CVI. De regno Abu Bekri. — Post mortem Mohammedi regnavit Abu Bekr. Anno primo regni sui is misit copias Saracenorum in Syriam ut eam expugnarent, exercitum triginta milibus hominum constantem. Eis praeposuit duces exercitus quattuor; primus fuit Abu Obaida filius Garrāḥi, ⌜cuius nomen erat Amr filius Abdallae, filii Garrāḥi[1]; dux secundus: Amrus filius Saidi, filii ' Aṣi; dux tertius: Šaraḥbel filius Ḥasanah; dux p. 240* quartus: Iezīdus filius Abu Sofiani. Et misit cum eis Iemanitas, circiter duodecim milia. Dux horum Iemanitarum fuit Abulkulab.

Cum proficiscerentur copiae Saracenorum ex urbe eorum profectus est cum eis Abu Bekr ut eos transmitteret; et praecipiebat eis dicens: Quando illam regionem ingrediemini, ne occidatis senem aut puerum parvulum, aut mulierem; stylitam e suo loco descendere ne faciatis; monachis ne noceatis, quia seipsos devoverunt ut Deo servirent; arborem ne caedatis, plantationem ne destruatis; bestiam, bovem aut ovem ne evisceratis. Omni civitati et genti quae vos excipiet constituite pactum et firmate eis promissiones, et vivent secundum leges eorum, et secundum mores quos habebant ante tempus nostrum; sed tributum secundum definitionem inter vos statutam solvant et in sua confessione et suo loco relinquantur. Cum eis qui vos non excipient gerite bellum, et omnia praecepta et leges rectas quae vobis data sunt a Deo per prophetam nostrum sedulo servate, ne iram Dei excitetis.

CVII. De iis quae fecerunt Saraceni quando exierunt, et de adventu Heraclii Antiochiam. — Exierunt ergo et venerunt exercitus missi ab Abu Bekro, via deserta, quae est ad austrum Damasci et transit Moabitidem. His auditis, Heraclius exercitus Romanorum et Saracenorum christianorum ad se convocavit, cum esset Damasci. Et iussit admonuitque eos de civitatibus custodiendis, et misit eos obviam Saracenis, ut e regione eos ex-

[1] Sic Abulfeda, *Annales*, ad ann. 19.

pellerent. * Heraclius ipse cum exercitu magno profectus est Antiochiam. E quattuor ducibus ab Abū Bekro missis, unus, ut diximus, venit in Moabitidem versus Palaestinam, alter versus Aegyptum et Alexandriam, tertius adversus Persas, ultimus adversus Saracenos christianos qui sub potestate erant Romanorum. * p. 241.

CVIII. De clade Romanorum coram Saracenis in Palaestina. — Dux qui venit cum exercitibus Saracenorum in Palaestinam bellum gessit adversus Sergium patricium Caesareae Palestinae degentem, cui ab Heraclio commissa fuerat urbs et regio. Ubi adventum exercituum Saracenorum notum habuit, collegit Sergius copias quae apud ipsum inveniebantur et arcessivit quinque milia peditum e populo Samaritano, ut secum Saracenis in praelio occurrerent. Saraceni autem, audita hac Sergii dispositione, pariter congregati sunt et insidias Romanis posuerunt, ut astute et ex improviso cadant in eos eosque trucident. Gressi sunt Romani et venerunt ad locum ubi erant insidiae Saracenorum, et nondum de eis aliquid perceperant. Rogarunt Sergium patricium ut ipsis permitteret aliquantulum e labore et defatigatione requiescere, nam plerique eorum pedites erant. Non autem permisit patricius, sed cum sciret inimicos propinquos esse, iussit tubas sonare et tympana percuti, et parati sunt eos aggredi. Saraceni autem fortiter armati exierunt ex insidiis et in eos venerunt clamore et furore magno et ceciderunt in eos. Obviam habuerunt primum Samaritanos qui primi incedebant. Defecerunt autem coram Saracenis Samaritani, et omnes trucidati sunt et perierunt. Cum haec vidisset pratricius tergum vertit ad fugiendum * ut caedem vitaret. Saraceni vero eos persecuti sunt, et sicut messores spicas abscindebant eos. Sergius autem patricius ex equo suo decidit; et accesserunt qui ei propinqui erant eumque in equum reposuerunt, et cum paulisper in equo mansisset cecidit iterum, et apprehenderunt eum, qui cum eo erant, et equo imposuerunt; et postquam paullulum progressus est, humi tertio ruit, et cum se parabant ut rursum relevarent eum, eos allocutus est dicens: Dimittite me, et vosmetipsos salvate, ne forte ego et vos calicem mortis pariter bibamus. Et cum dimisissent eum et paullulum amoti essent, assecuti sunt eum impetu qui persequebantur, et eum occiderunt hoc loco. Et * p. 242.

ita persecuti sunt et trucidarunt Romanos usque ad vesperam. Non evaserunt ex eis nisi pauci, qui latuerunt inter arbores, septa et vineas, et ingressi sunt Caesaream.

CX. De expeditione Theodorici, fratris imperatoris, adversus Saracenos. — Audita caede Sergii patricii, et clade Romanorum atque Samaritanorum, imperator Heraclius fratrem suum Theodoricum omnes romanos qui cum eo erant in Mesopotamia et eos qui ad occidentem Euphratis erant congregare iussit. Et cum omnes simul apud eum convenissent, et esset exercitus validissimus, profecti sunt cum impetu superbiae et magna iactantia, confisi in multitudine virorum et gloriatione armorum; ita ut in omni mansione qua consedebant saltationes, festivitates, compotationes, cantus instituerent, os aperientes et caput moventes, dicendo: quid a nobis reputandi sunt Saraceni? nonne tanquam canes mortui? Cum autem pervenissent in regionem Emesae, ad pagum Gousit, ad virum stylitam chalcedonensem, qui in columna sua stabat, * accessit Theodoricus et coepit cum eo conversari; et postquam multa mutuo collocuti sunt, dixit stylita Theodorico: Promittisne, cum a bello redieris in pace et victoria, delere Severianos, et eos poenis acerbis profligare? Patricius Theodoricus ei respondit, dicens: Ego, etiam absque iis quae a te praescribuntur, persecutionibus et malis multiplicibus erga Severianos utendi propositum habeo. Miles autem orthodoxus qui illic aderat, haec audiens zelo urebatur, sed quid dicere non valebat ob timorem principis. Inde profecti ad locum ubi castrametati erant Saraceni pervenerunt cum arrogantia et superbia, et castra sua prope castra Saracenorum posuerunt. Et manserunt alteri contra alteros, hostiles et minaces a mense īyār usque ad tešrīn priorem. Tunc subito in aciem se ordinarunt ambae partes, et cum prima hora praevaluissent Romani in Saracenos, in eos reversi sunt Saraceni, et terrore tremoreque capti sunt Romani; confractus est animus eorum, relaxatae sunt eorum manus et tergum in fugam verterunt; sed neque fuga salvari potuerunt: nam a providentia divina derelicti sunt; conculcabantur pedibus inimicorum suorum et gladio consumpti sunt; nemo evasit nisi Theodoricus, qui cum paucis salvatus est. Miles autem fidelis quem commemoravimus, cum videret Theodoricum vertigine captum, caligine oculos eius opprimente,

* p. 243.

animum sibi addidit eique dixit: Quid dicis, o * Theodorice? Ubi sunt stylitae istius promissiones ad te factae? Ecce pulcre redis cum fama optima, et nuntia victoriae a te deferuntur ad imperatorem! Patricius vero audiebat, et non verbum respondebat. Et ita quidem periit omnis exercitus Romanorum. Theodoricus autem fugiens apud imperatorem salvatus est. Reversi sunt Saraceni in castra, tentoria et fossatum integrum Romanorum. Et possederunt aurum, argentum, vestes pretiosas, servos et ancillas sine numero; ditati sunt divitiis multis, et opibus abundarunt. * p. 244.

De missione Baanis, ducis exercitus alius adversus Saracenos. — Rursum misit Heraclius Baanem, ducem exercitus, et filium Šahrbaraz, qui militabat cum imperatore Romanorum post caedem patris sui, et Sacellarium[1] patricium Edessae. Et collegerunt copias multas, et profecti sunt ut irent versus Damascum, ut civitates custodirent ne in eas ingrederentur Saraceni. Et cum Emesam pervenissent, occurrit eis Chaledus filius Walidi, emirus Saracenorum. Et confracti sunt Romani coram Saracenis, et plerique eorum trucidati sunt. Numerus occisorum ad xxxx milia crevit. Occisi sunt autem Baanes et Sacellarius. Filius autem Šahrbaraz vivus salvus est; Saracenis adhaesit, qui ei promissiones dederunt, et habitavit Emesae in civitate.

CXI. De castris adversus Damascum positis et de obsidione huius civitatis. De morte Abu Bekri et de regno Omari, post eum. — Saraceni autem, post magnam victoriam de Romanis reportatam, venerunt, et Chaledus filius Walidi cum eis, in regionem Ba'albek, et destruxerunt et depraedati sunt quidquid obviam habuerunt. Et venit dux exercitus Romanorum, cui nomen * Cēcalaūs[2], cum exercitu hominum xxiv milia. Et praelium conseruit cum Saracenis in *loco* Agnadīn *dicto*; et tela ceciderunt multa in Saracenos et mortui sunt plerique eorum multique ex equis eorum; sed, ingravescente pugna, devicti sunt Romani, et occisus est dux exercitus. * p. 245.

Et Chaledus filius Walidi abduxit copias Saracenorum et venit obsidere Damascum; ipse sedit in monasterio ad portam

[1] Theodorus Trithurius (Niceph.). — [2] Nomen incertum; corruptum e vocabulo graeco in ...λαος desinente.

orientalem; Abu Obaida sedit ad portam quae vocatur Gabithae; et sedit Iēzidus ad portam Thomae apostoli. Clausae sunt autem portae civitatis coram illis. Sed exterius circumsteterunt murum Saraceni, et instituerunt pugnam arduam cum incolis urbis. Cum autem cives opprimerentur, et timore Saracenorum 5 repleti erant, advenit eis exercitus Romanorum quinquaginta milia; et praelium cum Saracenis fecerunt et non a pugna destiterunt donec Romani isti urbem ingressi essent, dum Saraceni in urbem acriter pugnant.

CXII. De morte Abu Bekri et de regno Omari filio Chaṭṭa- 10 bi. — Dum exercitus Saracenorum Damascum obsident, ad eos perlata est fama Abu Bekrum eorum regem mortuum esse, postquam regnavit annos duos cum dimidio. Regnavit autem Omarus. Is misit turmam in Arabiam quae dicitur Belca[1], et expugnavit Bosram vastavitque pagos et civitates reliquas. Rursum, 15 misit Saadum filium Waccaṣi adversus Persas. Et progressi sunt Saraceni in via sua, et adscenderunt in montem Maridae, ubi occiderunt monachos multos et ascetas eximios, potissimum in monasterio magno et famoso quod est in monte Rhesaina et dicitur τῶν B e n a t a, id est Ovorum. 20

Hoc tempore, filius Šahrbaraz, quem diximus sedem habuisse Emesae et Saracenis adhaesisse, cum didicisset Omarum regnare, ei scripsit epistulam dicens: Si dederis mihi auctoritatem et populum Saracenorum quem deducam in regionem Persidis, ut

* p. 246. dimicarem cum * inimicis meis, totam regionem hanc tibi sub- 25 mittam et eos tibi tributarios faciam. Cum pervenisset haec epistula Omaro, et quid in ea contineretur novissent filia Chosrois et filius, qui magna familiaritate utebantur cum Omaro, hunc allocuti sunt dicentes: Ne decipiaris, o rex, verbis mendacibus filii Šahrbaraz; nam dolosus est, et non id quod tibi scribit, 30 sed contrarium facere intendit. Si enim suis civibus et dominis non pepercit, nec fidem servavit eis qui erant consanguinei sui, sed eos quasi peregrinos occidit, quomodo tibi fidem servaret. Quaerit sibi occasionem, et ubi regnaverit insurget in te et fiet tibi adversarius. His auditis, Omarus secum reputavit vera 35 esse. Et misit legatum Emesam, ut filius Šahrbaraz ligno affi-

[1] I. e., ut videtur, « deserta »; Auraniten vox designat. Cf. p. 194.

geretur. Et postquam pervenit mandatum Omari, statim ligno eum affixerunt ad portam Emesae.

CXIII. De fine imperii Persarum. — Saadus filius Waccaṣi, quem diximus, pervenit ad Cades pagum, quem hodie vocant Saraceni Cadesiah, et est in finibus deserti Cades, remotus ab 'Acula, quae est Cufah, parasangis quinque. Et cum ibidem castra sua posuissent Saraceni, collegit Iezdegerdes exercitus suos eosque adversus Saracenos misit. Venerunt Persae et castrametati sunt ad Euphraten prope Cufam. Et misit *rex* quemdam Hirtensem, ut castra Saracenorum exploraret. Hirtensis, cum esset genere saracenus et linguam apprime calleret, etiamsi Persis subditus erat, audacter versus castra Saracenorum tendit. Cum autem appropinquaret castris vidit quemdam *e Maadenis sedentem extra castra, alvum solventem, panem comedentem et vestimentum suum *pediculis* purgantem. Hirtensis videns hunc Maadenum, eum allocutus est lingua arabica eique dixit: Quid facis? Ille ei respondit: Ut vides, novum induco et expello vetus, et occido inimicos. Hirtensis, qui erat vir acutus mente et astutus, valde doluit ob ea quae audivit a Maadeno et secum dixit: Populus novus ingredietur, antiquus expelletur, et Persae occidentur. Et statim reversus est ad Persas et eis dixit: Populum vidi turpem, discalceatum, nudum et debilem, verumtamen valde animosum; et reliqua vos discetis. Secreto tamen duci exercitus revelavit quod viderat et audiverat, et quod secum cogitaverat.

* p. 247.

Persae autem uno animo petierunt Cades, et praelium conseruerunt cum Saracenis. Et terga verterunt Persae, et non destiterunt Saraceni persequi eos usque ad portam Ctesiphontis. Et rursum congregati sunt Persae novo coetu et abruperunt pontes supra fluvium Tigrim, ne transirent Saraceni. Tunc, conscensis equis, Saraceni clamaverunt et sibi invicem dixerunt: Deus qui nos adiuvit in arido, ipse salvabit nos in aquis. Et equitantes ingressi sunt Tigrim, traiecerunt illum et transierunt, nemine eorum suffocato, immo ne iumento. Et irruerunt in castra Persarum; eos aggressi sunt et occiderunt, et sumpserunt praedam castrorum; et expugnaverunt Ctesiphontem, et eius theasuros et divitias tulerunt, cum familia regis et familiis optimatum. Et rursum congregavit Iezdegerdes exercitum ter-

tium in loco Galula[1] dicto, sed ibi quoque Saraceni eos assecuti sunt, persecuti sunt et occiderunt. Et rursum, quarta vice congregati sunt *Persae in monte Mediae apud urbem quae Nihauanda[2] vocatur; et rursum venerunt Saraceni et gladio eos confecerunt. Et imperio Persarum spatio unius anni potiti sunt Saraceni. Et aufugit Iezdegerdes in regionem Segestanam. De his quae ei acciderunt, dicemus postea, auxiliante Domino.

*p 248.

CXIV. De expugnatione Damasci. — Revertamur itaque et ostendamus, auxilio Dei, quomodo Romanis ereptae sunt Damascus ceteraeque civitates. Cum igitur Saraceni a pugna adversus hanc urbem non desisterent, ut supra exposuimus, et viderent incolae urbis neminem esse qui eos liberaret, relaxarunt manus in praelio, et a Chaledo filio Walidi iuramenta petierunt atque pacta et foedera circa leges suas. Et iubente Chaledo scriptus est eis libellus pacti, de omnibus quae petierunt et qualem voluerunt. Et sic aperuerunt civitatem coram Saracenis. Sed e parte occidentali vi expugnata est, nam unus ex emiris Saracenorum praevaluit et aperuit unam e portis eaque intravit. Verumtamen libellum, pacta et iuramenta eis confirmavit Chaledus filius Walidi, et pronuntiavit eos esse tributarios. Erat autem mediator eorum Iohannes diaconus, filius Sergunae, ex ipsa Damasco oriundus, vir Saracenis carus et notus. Et ita accidit expugnatio Damasci, anno 13° Arabum.

CXV. Expeditio Saracenorum in loca Phoeniciae et expugnatio Emesae ceterorumque locorum. — Postquam Damasco profectus est Chaledus filius Walidi, cum exercitu Saracenorum, venerunt in loca Iordani vicina, in Belcam[3] et Auraniten. Voluerunt Saraceni ea populari et depraedari, sed prohibuit eos Abu Obaida, mandato regis Omari, et fecit *eos tributarios. Inde profecti sunt et venerunt Baalbek et Palmyram. Et pervenerunt Emesam, atque castrametati sunt ad portam Resen. Clauserunt portas Emiseni coram eis, et adscenderunt in murum et cum Saracenis collocuti sunt dicentes: Ite obviam imperatori Romanorum, et ubi deviceritis eum, vobis subditi fiemus; alio-

*p. 249.

[1] Sic legendum ex arabicis fontibus. Codex noster, Michael Syr. et Barhebraeus habent Gāula. — [2] Νιφαόνανδα (Ptolem.). — [3] Cf. supra, p. 192, n.

quin portas non aperiemus vobis. Et coeperunt Saraceni oppugnari civitatem. Et exspectaverunt Emiseni ut veniret eis auxilium et exercitus qui liberaret eos, sed non venit. Tunc, relaxatis manibus, petierunt a Saracenis fidem, pactum et iuramenta. Et acceperunt libellum pro seipsis et ipsorum bonis, pro ecclesiis et legibus suis, sicut fecerant Damasceni, modo solvant tributum ex urbe probatorum denariorum CX milia. Et aperuerunt civitatem, et in ea regnaverunt Saraceni. Eis impositus est princeps, emirus nomine Ḥabibus filius Maslamae, qui ab eis tributum exigeret.

Palaestinenses autem et incolae littoris omnes congregati sunt et ingressi sunt Ierusalem.

CXVI. De exercitu ab imperatore Heraclio Antiochia misso adversus Saracenos, et de clade Romanorum ad flumen Hieromicen [1]. — Imperator Heraclius, cum audivisset haec nuntia collegit copias ex Armenia et Syria et Beth Romayē plusquam trecenta milia, et eas disposuit sub tres duces, *qui sunt*: Gregorius armenus, et QNTRIS [2] et ARDIGUN [2], et cum eis erat multitudo copiarum, ut diximus. Antiochia exierunt ut venirent versus Emesam obviam Saracenis. Quando autem Saraceni acceperunt famam eorum timuerunt coram eis et cogitaverunt urbes a se expugnatas derelinquere ut in regionem suam redirent. Tum consilium mutuum habuerunt et sibi invicem dixerunt: Quomodo derelinquamus hanc regionem fertilem ? * Si discesserimus ab ea, rursum in eam nunquam revertemur. Sed pugnemus cum Romanis. Et praecepit Abu Obaida, qui ab Omaro Saracenis dux praepositus fuerat, Habibo filio Maslamae ut Emisenis restituat tributum quod ab eis exegit; et dixit eis: Iuramenta sunt inter nos. Ecce nos imus obviam Romanis. Si revertemur nostrum erit tributum; si devicti fuerimus et non revertemur, liberati sumus a iuramentis. Et profecti sunt Saraceni Emesa, et Damascum venerunt. Et praecepit Abu Obaida emirus Suwaidae filio Chultumi, qui dominabatur in Damascum, ut ipse quoque tributum restituat quod exegerat a civibus Damascenis; et dixit eis: Si vicerimus et revertemur illud a

* p. 250.

[1] Arabice: Iarmuk; Ἰερμουχά (Theoph.). — [2] Nomen, quod alibi non inveni, corruptum videtur.

vobis sumemus; si devicti fuerimus, nec poterimus vos a Romanis salvare, ecce tributum vestrum vobiscum est, et nos liberati sumus a iuramentis quae vobis iuravimus. Et profecti sunt Saraceni Damasco. Et venerunt castrametari ad fluvium Hieromicen. Et Romani venerunt quo castrametati erant Saraceni. Cum autem transirent Romani per civitatem aut pagum ex eis quae Saracenis adhaeserant, eis minas proferebant; nec lingua potest mala quae fecerunt Romani in transitu suo enarare, et turpitudinem quae non decet in memoriam revocare.

Et postquam per dies castrametati sunt alii contra alios ad flumen, et invicem collocuti sunt de pace, et de fine bello imponendo, non fuit concordia in his quae alii ab aliis petebant, et se paraverunt ad praelium. Et dum se parant, advenit in castra Saracenorum Abu Sofianus qui eis animum ad pugnam addidit. Et percusserunt tympana et sonuerunt tubis et pugnaverunt per totam diem donec eos assecuta est nox obscura. Et devicti sunt Romani et tergum dederunt, et fugerunt ante Saracenos, qui coeperunt eos gladio trucidare. Et perturbati sunt Romani, nec sciverunt * quo fugerent. Multi ex eis iverunt versus lumen ignis pastorum, et dum impetu fugiunt, ex alto saxo ceciderunt atque confracti sunt, et perierunt plura milia, maiori numero quam ii qui in pugna occisi sunt. Et Damascum reversi sunt Saraceni cum magna victoria et laetitia. Damasceni vero obviam eis iverunt cum gaudio, eos alacriter exceperunt et cum eis sancita et promissa perfecerunt.

* p. 251.

CXVII. De recessu Heraclii e Syria. — Quidam e Saracenis christianis Antiochiam venit et narravit Heraclio cladem exercituum romanorum, et neminem ex eis evasisse qui rem nuntiaret. Imperator Heraclius Antiochia profectus est in magna trititia, et Constantinopolim ingressus est. Ut fertur, proficiscens valedixit Syriae et exclamavit: s ā z ō S u r i a[1], id est: Mane in pace, Syria! Tanquam qui spem amiserit de illa. Proiecit etiam sceptrum quod manu tenebat, et permisit exercitibus ut quidquid invenerint tollant et rapiant, quasi iam inimicorum esset Syria. Et scripta misit in Mesopotamiam, in Armeniam, in Aegyptum et in reliqua loca ubi remanserant Romani: ne pugna-

[1] σῶσου Συρία.

rent cum Saracenis, neque insurgant adversus decretum Domini, sed quisque civitatem suam et locum suum custodiat, donec eius vires negotium superet.

CXVIII. Quomodo Aegyptus subacta et Saracenis a Beniamino patriarcha tradita est. — Hoc tempore, postquam praevaluerunt Saraceni, duxit exercitum Amrus filius Aṣi, et venit contra regionem Aegypti. Invenimus autem in narrationibus et historiis Aegyptiorum, Beniaminum, qui tunc erat patriarcha Orthodoxorum * in Aegypto, tradidisse Aegyptum Amro, duci exercitus Saracenorum, ob antipathiam, id est hostilitatem, Cyri, patriarchae chalcedonensis in ipsa Aegypto. Dicunt enim hunc Cyrum, una cum patriarchatu etiam principatum et auctoritatem in universam Aegyptum ab Heraclio accepisse, et milites armatosque viros ei ministravisse. Et cum vellet significare cum episcopatu etiam sibi competere ordinem militaris praefecturae, gerebat uno pede calceum rubrum et pede altero soleam qua utuntur monachi. Et idcirco in omnibus rebus tyrannice agebat, et multa mala orthodoxis infligebat per vim quam ab imperatore tenebat. Expulit etiam patriarcham Beniaminum ab ecclesiis eius, et ipse eis potitus est.

* p. 252.

Cum autem audivisset Cyrus de adventu Amri filii Aṣi exiit et eum adiit, et pactum est ut daret ei singulis annis CC milia denariorum, ne Saraceni in Aegyptum ingrederentur. Abierunt vero quidam et accusaverunt Cyrum apud Heraclium imperatorem quod: Sumit aurum Aegypti et dat illud Saracenis. Et scripsit imperator Cyro ut abstineret a gubernatione Aegypti, misitque in Aegyptium ducem exercitus, virum nomine Manuelem, genere armenum. Et, elapso anno, venerunt in Aegyptum legati Saracenorum, pro more, ut sumerent tributum. Et invenerunt Manuelem qui sedem fixerat Babylone, quae hodie Fosṭaṭ dicitur. Et adierunt eum legati aurum petentes. Respondit eis: Ego non sum Cyrus ille qui vobis aurum pendebat; ille non armis indutus erat sed tunica lanea; ego vero arma gero, ut videtis. Ite, recedite; nec iterum huc veniatis. Cum igitur reversi essent legati et notum fecissent suo emiro quae sibi dicta fuerant, et eum certiorem fecissent Cyrum non esse * praefectum Aegypti, timuit Amrus filius Aṣi in Aegyptum proficisci. Beniaminus autem patriarcha Orthodoxorum, exiit apud Amrum

* p. 253.

filium Aṣi, et ei animum addidit promisitque se ei traditurum omnem regionem Aegypti. Pepegit cum eo foedus, quo Amrus daturus et traditurus erat in manus eius omnes ecclesias Aegypti et chalcedonenses deleturus. Reversus in Aegyptum, Beniaminus certiores fecit suos fideles quid ab ipso factum sit eisque suasit ut circumciderentur, ut sit in eis signum ne trucidarentur cum Chalcedonensibus; et eos hortatus est ut rebellarent adversus Romanos, et regionem Saracenis traderent et a servitute amara Romanorum se liberarent, quae eis nullam requiem a persecutione, propter fidem eorum, relinquebat. Eo usque devenerat nequitia Chalcedonensium, ut tempore oblationis apud Orthodoxos ingrederentur et proicerent mysteria sacra eaque conculcarent. Et ideo invaluit mos Miṣrin et in Aegypto, usque hodie, ut diaconus ex oriente stet ut ministret tempore mysteriorum ita ut, quando ingrediebantur persecutores, videret eos et moneret sacerdotem, qui antequam penetrarent persecutores mysteria consumebat. Et cum id didicissent optimates Alexandriae et Miṣrin concordes fuerunt cum Beniamino patriarcha. Et cum venisset Amrus in Misrin tradiderunt ei civitatem ; et ingressi sunt Saraceni, et irruerunt in Romanos eosque trucidarunt. Cyrus autem et Manuel cum viderent Saracenos praevaluisse, tulerunt quidquid potuerunt e thesauro ecclesiae, aurum et argentum, et conscenso navigio, Constantinopolim fugerunt. Beniaminus vero patriarcha dominatus est in ecclesias Alexandriae et totius Aegypti; et ab hoc tempore caput non extulerunt Chalcedonenses in tota Aegypto, praeter aliquot viros qui in pagis et castellis ad littus maris manserunt.

*p. 254. CXIX. * Expugnatio Halebi et ceterorum locorum a Saracenis. — Et venit Chaledus filius Walidi Halebum, et castrametatus est ad portam. Et clauserunt portas ante eum. Et obtinuerunt pacta et iuramenta quomodo voluerunt, et civitatem tradiderunt. Ita etiam Kenneshrīn et reliqua loca. Et misit Abu Obaida, dux exercitus Saracenorum, Habibum, emirum Emesae, in regionem Kenneshrīn, quia una cum Emesa tributum pendebat. Et ita res mansit donec a ditione Emesae separata est, tempore Iezidi filii Moawyae. Et emirus Damasco praepositus est Saidus filius Zaidi.

CXX. De oppugnatione Ierusalem et eius traditione in manus Omari filii Chaṭṭabi. — Abu Obaida filius Gerraḥi duxit exercitum Saracenorum et venit castrametari ad Ierusalem. Egressus est populus urbis et praelium commisit cum Saracenis; pugnaverunt cum eis et regressi sunt in civitatem. Saraceni autem appropinquaverunt et instituerunt in urbem pugnam vehementem. Et cum obsessi viderent nullum sibi esse adiutorem, mandarunt Abu Obaidae, duci exercitus Saracenorum, ut arcesseret Omarum filium Chaṭṭabi, regem, qui veniat et confirmet eis pactum, et tradant ei urbem. Scripserunt Saraceni Omaro ut veniret. Is processit venitque Ierusalem anno 946°, Heraclii 46°, Arabum 15°. Et venerunt cum eo multi exercitus, et viri nobiles et clari e Coraishitis et Abbas filius Abdalmothallebi, qui erat patruus Mohammedi prophetae Arabum. Et potestatem dedit suo loco in Medinam Ali filio Abu Thalebi, genero Mohammedi per huius filiam Faṭimam. Et venit Omar Ierusalem camelo insidens, supra crassiorem manticam in qua ex una parte farina hordeacea reposita est et ex altera dactyli, uter aquae et scuta. Et venerunt * obviam ei exercitus Saracenorum et eum exceperunt; denique venit Abu Obaida, dux exercitus, et ambo descenderunt sibi mutuo obviam occurentes et se invicem salutaverunt. Et cum pervenisset ad urbem, eum adierunt principes civitatis: inter eos unus fuit, quem Abu Guaidadum [1] appellant Arabes, alter Sophronius episcopus. Et sanxerunt pacta et iuramenta; et scripsit eis diploma, sicut petierunt, pro ecclesiis et pro legibus eorum; et pro universa Palaestina acceperunt fidem et iuramenta, et etiam ne remaneat ullus iudaeus Hierosolymis. Et postquam scriptum et eis missum fuit diploma, rex Omarus ingressus est Ierusalem. Et iussit loco templi Salomonis aedificari masgidam seu domum orationis Saracenis. Et vidit Sophronius episcopus Omarum regem vestibus sordidis indutum; et obtulit ei vestimentum et sindonem, et rogavit ut illa a se acceptaret; multum institit, sed noluit Omarus illa accipere, dicens: Non me decet quidquam ab aliquo accipere. Omarus enim assidue plectebat flabella e foliis palmarum, tradebat ea ut venumdarentur, et inde se vestiebat. Etiam e labore manuum suarum se nutriebat. Et postquam multum rogavit eum episcopus,

* p. 255.

[1] Sic; probab. leg. Guaidus.

dixit ei Omarus: Propter instantiam tuam, et quia amo Dignitatem tuam, fac mihi gratiam; commoda haec mihi, induam illa, donec sumpseris vestimenta mea haec et tradideris ut abluerentur, et postquam ea mihi restitueris, sumes tua. Et ita fecit. Et postquam abluta sunt vestimenta regis, rursum induit ea et episcopo vestes illius remisit. Et postquam parvum tempus sedit Hierosolymis Omarus Iathrippa[1] civitatem suam reversus est.

Et anno 18° Arabum, postquam Omarus descenderat in urbem suam, immissa est pestis bubonica in universam Palaestinam; Abu Obaida, emirus et dux exercitus Arabum, hac plaga percussus est et mortuus est * Emmao civitate Palaestinae et ei successit Muādhus filius Gabali. * p. 256.

CXXI. De expugnatione Mesopotamiae et Antiochiae. — Et post annum, venit Iyādhus filius Ganemi cum exercitu Saracenorum; transierunt per civitates Syriae, quibus dedit fidem, et submissa est Syria Saracenis. Et exiit Iohannes[1], qui relictus fuerat ab Heraclio ut Mesopotamiam custodiret et venit Kenneshrin apud Iyadhum filium Ganemi; et fecit cum eo pactum ut daret ei singulis annis c milia daricorum, pro universa Mesopotamia, ne Saraceni transirent ad orientem Euphratis. Et, hoc pacto inter eos firmato, reversus Iohannes exegit et misit ei tributum unius anni. Quo audito, iratus est Heraclius Iohanni; et destituit Iohannem atque eius loco instituit virum nomine Ptolemaeum; nam deseruit Deus imperium Romanorum.

Et post annum, misit Omarus rex et instituit in universam Syriam Moawyam filium Abu Sofiani. Is venit et obsedit Antiochiam, et eam expugnavit, pagosque circumvinos populatus et depraedatus est. Et miserunt Saraceni tributum Mesopotamiae a Ptolemaeo postulantes. Cum eis non traderetur, anno 951° transierunt Euphraten et venerunt impugnare Edessam. Exierunt autem Edesseni et sibi sumpserunt fidem et pactum. Et etiam Harranitae. Et primus ex Arabibus regnavit Edessae Abu Bedr; Ptolemaeus vero et Romani qui cum eo erant, cum etiam pro eis sumpsissent fidem Edesseni, abierunt in regionem suam. Et venit Iyadhus filius Ganemi in civitatem Tellam-Mauzelat. Et non annuerunt Romani superbi qui Tellae erant, ut

[1] Hodie: Medina. — [2] Cognomine Catzas.

sumant fidem, sed pugnarunt cum Saracenis. Et instituit in hanc civitatem Iyadhus praelium acerrimum eamque expugnavit. Et occidit trecentos Romanos qui in ea inventi sunt. Et progressus ivit in Daram civitatem, quam pari modo vi expu-
5 gnavit, * et occidit quemque Romanum in ea inventum. Rhesainam vero et Mardin et Amidam cepit sub fidem, pactum et iuramenta. Et Amidae occisus est Iyadhus filius Ganemi, et in ea sepultus est.

* p. 257.

CXXII. — Expeditio Davidis armeni, et sociorum eius, in
10 Mesopotamiam. — Hoc tempore exivit[1] e sua regione, David armenus, dux exercitus Romanorum, et etiam vir alius, nomine Valentinus[2], ex occidente. Et sibi invicem legatos miserunt, ut alter ex oriente, alter ex occidente procedentes bello perderent Arabes omnes in Syria. Sed cum rem notam habuissent Arabes,
15 se paraverunt et primum iverunt adversus Valentinum et cum eo proelium conseruerunt. Devictus et destructus est totus eius exercitus. David autem progressus pervenit usque in Mesopotamiam, et audivit non esse Arabes in regione : profecti enim erant ut spoliarent Romanos qui venerant cum Valentino. Et
20 cum advenisset David armenus castra metatus est prope pagum qui vocatur Beth Maada. Sed in diffusionem malorum plurimorum processerunt copiae Davidis, et coeperunt spoliare homines, et nihil relinquebant; tormentis crudelibus affligebant viros simul et mulieres ut ipsis manifestarent res in solo absconditas;
25 nec aliud audiebatur quam clamor et questus, fletus et ululatus ab omnibus, praesertim a mulieribus nobilibus et liberis, in quibus stupro et lascivia se oblectabantur; et id aperte, sine pudore, in oculis maritorum earum et coram omnibus. Erat autem cum eis miles nomine Titus, dux exercitus, qui ex aliqua
30 civitate cum illis venerat, genere syrus. Is cum videret mala quae faciebant socii Davidis armeni, accessit ad eum eique dixit : * Non decet te, cum sis christianus et miles regis christiani, ut extendas gladium in christianos, et sinas milites tuos destruere christianos qui non deliquerunt in auctoritatem Romano-
35 rum; nec imperator te laudabit ubi haec audierit. Tunc vetuit David armenus, ne quis laederet incolas loci.

* p. 258.

[1] Sic; intellege « rebellavit », sed rebellionem intellexisse auctorem, non est certum. — [2] Nomen corruptum in textu.

CXXIII. De adventu Arabum et clade ruinaque Davidis armeni. — Cum autem notam habuerit Iyadhus expeditionem Davidis et eius exercitus, profectus est e regione Damasci, et, quemadmodum narraverunt qui ab ipsis audiverant, iumenta exercituum non exonerata sunt donec Edessam pervenerint. Cum autem miseri Armeni de adventu Arabum certiores facti essent, timore et tremore correpti sunt. Secum enim habebant praedam, captivos et iumenta quae rapuerant in Mesopotamia; ea autem nocte qua nuntium acceperunt, omnia dimiserunt et fugam coeperunt. Et cum advenissent Arabes et castra Armenorum invenissent, coeperunt immorari praedae. Emirus autem increpabat eos dicens: Anathema vobis a Deo, si cunctamini in praeda; sed persequamur inimicos et postquam tradiderit eos Dominus in manus nostras, sumemus aurum, argentum, vestes pretiosas eorum, et equos et iumenta; tum ad haec revertemur. Tunc celeriter persecuti sunt eos. Et cum eos assecuti essent diviserunt eos turmatim sicut oves, quinquagenos aut centenos, et sine misericordia eos gladiis et lanceis confodiebant. Titus autem separavit totum exercitum Syriae qui eum sequebatur, et una parte constiterunt. Voluerunt Arabes manus in eum inicere, sed viderunt turmam virorum fortissimorum esse cum eo, dimiserunt eum et adversus Davidem institerunt. David autem viribus impar clamabat * Tito dicens: Ecce tempus ut illustrareris in proelio, et manifestetur amor tuus erga imperium romanum. Titus vero respondit ei: Si adiuvarem te, non adiuvaret Deus. Et sic se separavit Titus a Davide, et salvatus est. David autem et totus exercitus eius gladio perierunt in pugna et caede, adeo ut ex eis nemo superfuerit.

* p. 259.

CXXIV. Expugnatio et ruina Caesareae et Euchaitorum. — Anno 950° Graecorum, venit Moawya impugnare civitatem Caesaream[1], et instituit in eam pugnam strenuam et validam; vastavit autem populatusque est totam regionem circumvicinam; et quidem tempus protractum mansit adversus eam, die nocteque pugnando. Erat autem in ea exercitus septem milium Romanorum, qui ad eam custodiendam missi erant. Cum autem vi eam expugnasset, quemcumque in ea inventum trucidavit

[1] Cappadociae.

et destruxit. Captivos fecit et aurum argentumque infinitum praedatus est; eam in dolore et gemitibus reliquit; et qui postea in ea habitarent tributarios fecit. Exinde consilium coepit Moawya invadendi loca Romanorum. Et sic vastando, captivos faciendo et destruendo, pervenit usque Euchaita[1], id est [A]-blastain, cum nihil percepissent incolae. Cives autem dispersi erant in messe et in vineis. Cum autem viderent exercitum, existimarunt esse Arabes christianos, ex eis qui Romanis addicti erant; et idcirco nemo aufugit aut discessit. Et pervenerunt ad miseram civitatem, dum apertae sunt portae et in ea sine timore sedebat populus. Et ingressi diripuerunt et depraedati sunt urbem; collegerunt acervos spoliarum, et captivos fecerunt tuleruntque mulieres, pueros et puellas. Etiam praefectum civitatis eduxerunt in captivitatem. Et eam sic vacuam et desertam relinquentes, cum gaudio reversi sunt in regionem suam.

CXXV. De morte imperatoris Heraclii. — Anno * 952° Graecorum, 19° Arabum, 7° Omari filii Chaṭṭabi, regis Arabum, mortuus est imperator Heraclius, postquam regnavit annos triginta et menses quinque. Et regnavit post eum in Romanos Constantinus, filius eius senior, menses quattuor. Huic venenum propinavit Martina, uxor illegitima patris eius, et mortuus est. Et regnavit post eum Heracleonas, filius Heraclii ex ipsa Martina natus. Et displicuit senatoribus qui eum deiecerunt et Constantem, filium Constantini filii Heraclii, regnare fecerunt.

* p. 260.

CXXVI. Regnum Constantis, nepotis Heraclii imperatoris. — Postquam deiectus est ab imperio Heracleonas filius Heraclii, quem is habuit ex Martina filia fratris sui, Romani in se regnare fecerunt Constantem, filium senioris filii Heraclii, quem post patrem menses quattuor regnavisse memoravimus.

Hoc tempore, seu anno 954° Graecorum, regnavit is imperator, et anno sequenti in eum rebellavit Valentinus[2], dux exercitus; et occisus est. Qui autem ei adhaeserant se imperatori submiserunt.

Et anno sequenti in eum rebellavit Gregorius, patricius Africae. Et eodem anno, invaserunt Arabes Africam et invenerunt hunc Gregorium, qui rebellavit adversus imperatorem; praelium cum eo commiserunt et multi ex exercitibus eius necati

[1] Εὐχάιτα, nom. plur. — [2] Nomen corruptum: Ulitos.

sunt. Ipse Gregorius cum salvus evasisset, abiit et se submisit imperatori.

Et hoc anno, fuit flatus ventorum vehemens et eradicavit arbores magnas ; etiam columnas plures beatorum *stylitarum* e suis locis evertit. 5

Hoc tempore aedificabant Arabes illud templum quod est Hierosolymis; et eversa est aedificatio atque ruit. Causam autem cum a Iudaeis quaererent, dicebant eis isti Iudaei immundi: *p. 261. Nisi crucem quae * est contra templum, in monte Olivarum, everteritis, templum aedificare non poteritis. Et cum deiecissent 10 crucem stabilitum est eorum aedificium.

CXXVII. De caede Omari, regis Arabum, et de regno Othmani filii Affani, generi Mohammedi. — Omarus autem rex Arabum postquam regnavit annos XII, occisus est, die quarta mensis tešrīn posterioris, feria quinta. Haec fuit causa caedis 15 eius. Servus quidam romanus alicuius coraishitae cum ab hero suo vexaretur et saepius affligeretur, de eo conquestus est apud Omarum. Rex autem, sive ex oblivione, sive potius quia regni negotiis intentus erat, neglexit eum. Tum servus ingressus ad Omarum, dum orat in mesgida, cultro percussit eum et ventrem 20 eius perforavit; et statim mortuus est Omarus. Regnavit autem pro eo Othmanus filius Affani. Is erat valde avarus, et cum regnaret crevit avaritia eius. Collegit sibi aurum multum. Mutavit legem et habitum modestum regum decessorum eius, Mohammedi inquam, Abu Bekri et Omari. Idcirco congregati sunt 25 Arabes, et voluerunt eum occidere. Is vero promisit se recessurum a via sua mala, et observaturum legem regum qui ante eum fuerunt. Is Othmanus peritus erat scripturae arabicae et aptus rebus temporalibus gerendis. Dicunt quidem Arabes ipsum collegisse et disposuisse Coranum, seu librum quem proclamant e 30 caelo descendisse et verba Dei continere. Is itaque praescripsit ut quicumque haberet interpretationem aut narrationem quam audivit ab ipso Mohammedo, afferat ad eum. Et cum omnia collecta essent, fecit librum unum quem coordinavit et qui appellatus est Coranus. Ferunt etiam eum latuisse per dies, et cum 35 requirebatur, dicebant eum coordinationi Corani incumbere.

*p. 262. Is * Othmanus non erat e gente Coraishita, sed e gente stirpis Omayae.

CXXVIII. Quod praescripserit Amrus, filius Saadi, ut detruderent cruces ex ecclesiis. — Hoc tempore, dux exercitus Arabum qui vocabatur Amrus filius Saadi excitatus est instigatione quorumdam virorum iniquorum qui ei consilia dederunt; arma
5 tulit adversus christianos suae ditionis, et sibi proposuit eos vexare et splendorem decoris eorum delere; ideo edixit ut cruces everterentur et delerentur e parietibus et vicis et omnibus locis ubi conspicuae erant; vetuit ne appareat signum crucis diebus festivis vel rogationum. Et cum id tyrannice decretum fuit a
10 rege, valde gavisus est populus Iudaeorum. Statim cucurrerunt evertere cruces venerandas e tectis sanctorum templorum et ecclesiarum. Tum quidam nobilis christianus fidelis Deum timens, qui familiaritate utebatur cum emiro Amro, hunc adiit eique dixit: O emire optime, non aequum est ut in nos dominari
15 facias Iudaeos maledictos, inimicos fidei nostrae, qui invadant ecclesias nostras et nostra mysteria crucesque nostras derideant. Tunc emirus, Deo conscientiam eius movente, ei respondit: Ego nihil aliud iussi quam cruces e vicis auferri, quas continuo cum transimus videmus. Et praescripsit uni ex iis qui coram eo
20 stant, ut exeat et quemcumque Iudaeum, quem invenerit supra tectum ecclesiae, infra praecipitet inverso capite. Iudaeus quidam adscenderat in tectum ecclesiae magnae Iohannis Baptistae, et auferens crucem, quam evertit e tecto, per gradus descendebat. Strategus autem ab emiro missus, cum vidisset hunc
25 Iudaeum, eripuit ei crucem et eum caput percussit * ita ut cerebrum naribus deflueret, qui cecidit et mortuus est. Et sic sedatus est impetus audaciae. * p. 263.

CXXIX. Quod Iohannes patriarcha ab emiro Amro evangelium e lingua syriaca in arabicam interpretari iussus sit. —
30 Is emirus, filius Saadi, sive propter odium suum christianorum, sive ut procuraret ne Christus diceretur Deus, epistula arcessivit Iohannem patriarcham, et cum is venisset et ingressus esset coram eo, coepit eum alloqui verbis insuetis et ei proponere quaestiones obliquas. Patriarcha vero, virtute divina, solvit om-
35 nes quaestiones eius. Tum, cum videret patriarcham cum animo et libertate rationem reddere, ei iussum dedit dixitque: Verte mihi evangelium vestrum in linguam arabicam. Nihil in eo mutes; sed mentionem Christi, qui sit Deus, aut baptismatis aut

crucis, ne ponas in eo. Patriarcha, his auditis, spiritu roboratus, sine timore respondit dicens: Absit mihi, per Christum Deum meum, ut minuam i o d unum aut lineolam unam ex evangelio meo, etiam si omnes lanceae castrorum tuorum me transfigerent. Aliter, non scribam illud omnino. Cum autem videret emirus fortitudinem eius, et virilitatem conscientiae, patriarchae dixit: Vade, scribe prout vis. Tunc patriarcha convocavit quosdam viros pios e gentibus Tanuchea et Aculea, et elegit eos qui melius callebant linguam arabicam simul et syriacam, et apti erant sententias vertere polito stilo e lingua in linguam; et eos iussit vertere evangelium. Et postquam interpretatum est arduo labore, pluries contulerunt illud et compaginaverunt in unum librum elegantem, egregiae operae; et obtectus est valde affabre * et splendide, et principi Amro filio Saadi oblatus est.

* p. 264.

CXXX. Undenam initium habuerit haeresis Maximianorum, quae adhuc viget in ecclesiis Chalcedonensium. — De haeresi quae dicitur Maximianorum [1], quae postea inter Chalcedonenses diffusa est, *notitiam* invenimus in refutatione quam fecit adversus eam Simeon quidam, presbyter e monasterio Kenneshrin, qui ita loquitur: Primum initium habuit a Theodoro [2] haeretico, postea grassata est in quosdam monachos e duobus monasteriis quae sunt prope Ierusalem. Isti opinionem tenebant Origenis, qui propter adhaesionem suam Platoni ad sensum paganum declinavit. Et cum secreto hanc *haeresim* celabant, fraus revelata est a monacho quodam e Mesopotamia qui vocabatur Sergius pauper [3]. Venerat quidem Ierusalem ad orandum. Cum autem de his monasteriis sermonem audivisset, eo ivit ut in eis oraret. Eum exceperunt monachi et de eo gavisi sunt, quia erat vir virtute famosus. Conabantur etiam eum ad perversam suam opinionem adducere; ei dicebant: Ita enim accepimus ab Origene [4]: Omnes animae hominum et animalium et volucrum,

[1] Vocabulum e nomine s. Maximi, quod Maximinum plerumque scribunt Syri, deductum. — [2] Mopsuesteno, secundum interpretationem Michaelis syri; sed fortasse est confusio cum Th. Pharanita. — [3] I. e. « religiosus ». — [4] In margine, alia manu: Origenes, Plato et Aristoteles dicunt corpora hominum non surrectura die resurrectionis, nec fore in mundo futuro supplicium, sed in hoc mundo torqueri animas, id est angelos e gloria decisos; et ipsos daemones hic in corporibus torqueri tantum, quasi in quodam carcere.

angeli erant prius quam peccarent; frigescente autem in eis amore erga Deum, demissae sunt e caelo et damnatae ad habitandum in corporibus, quasi in exilio, et singulae ratione peccati sui ita torquentur, transeuntes * de corpore in corpus. Postea, aiunt, erit ἀποκατάστασις, et solvetur iudicium in animas et daemones *latum*, postquam poenas luerunt pro peccato suo; et omnes in pristinam suam gloriam revertentur, quia post hanc resurrectionem, id est exspectatam liberationem animarum e corporibus, quando a peccatis suis purificati erunt animae et daemones et restituti in ordine suo pristino, et erunt angeli sicut prius, tunc mutabuntur in naturam divinitatis. Et ideo, dicebat archimandrita eorum : Ego, princeps angelorum eram antea; et Christus princeps angelorum fuit, nec nobis aliquatenus melior fuit. Et sicut ille Deus factus est, ita immutabimur in resurrectione et dii erimus. Non est enim Deus pesonarum acceptor, ut honoret Christum plus quam nos. Haec enim est vera resurrectio: liberatio animae a corpore per mortem. Et quia corpus concupiscit quod nocet spiritui, et spiritus concupiscit quod nocet corpori : alia est voluntas corporis et alia voluntas animae. Ita etiam Christus duas habuit voluntates. Cum haec audivisset is monachus pius, reliquit monasterium eorum, et adiit Iustinianum imperatorem, et de monachis istis eum monuit. Iubente imperatore, e monasterio eorum expulsi sunt. Et postea congregata est synodus quae vocatur quinta, in qua anathematizaverunt quemcumque duas voluntates profitentem et duas operationes in Christo. Et post tempus, cum regnaret Heraclius imperator, et audiret hanc haeresim florescere, tum fecit edictum in quo reprobat quemcumque duas voluntates et duas operationes profitentem. Et post mortem Heraclii, * cum regnaret Constans nepos eius, hoc tempore, pullularunt ad modum zizaniorum et apparuerunt fautores huius haeresis, quorum dux erat Maximus, cuius nomine appellata et vocata est. Originem ducebat iste e pago Iaṣphin [1], in dicione urbis Tiberiadis; cum autem in Africam adscendisset Maximus,

* p. 265.

* p. 266.

[1] Mich. syrus: Iaṣphin, et Naṣphin; Barhebraeus: Haṣphin. Narratio haec minime quadrat cum vita graeca s. Maximi; quod mirum non est, si e fabulosis Maronitarum traditionibus desumpta est.

ibi invenit homines scholasticos Nisibenos nestorianos, qui cum vidissent doctrinam eius doctrinae Nestorii eorum magistri consentaneam, eum exceperunt. Ivit autem penes Martinum, patriarcham Romae, et eum decepit. Cum autem ingrederentur Arabes in Africam, aufugerunt isti Nestoriani et abierunt Romam apud Martinum. Et excepit eos quasi suae doctrinae fautores, et dedit eis monasterium in quo habitarent. Maximus vero descendit Constantinopolim et coepit hanc doctrinam docere. Tunc, de eius doctrina admonitus, Constans imperator praescripsit ut congregaretur synodus ex omni imperio Romano. Postquam vero cum Maximo disputaverunt et eum pluries admonuerunt, non conversus est a sua impietate. Tunc praescripsit imperator ut in quodam monasterio mulierum includeretur et corrigeretur a muliere praefecta monasterio, quasi in ignominiam eius. Maximus vero conatus est etiam moniales decipere doctrina sua. Prohibebat illas ne sumerent oblationem quam offerebat Abasus eorum magister; dicebat enim eis non descendere in eam Spiritum sanctum. Hae autem miserae sub soleas calceorum suorum proiciebant illam, prout docuerat eas Maximus. Cum autem res manifesta fuerit et imperatori denuntiata, iussit eas duci per urbem et igni cremari; Maximo vero linguam abscidit. At nec ita a sua malitia destitit, sed coepit epistulas scribere; re autem detecta, amputata est manus eius dextera; sed rursum coepit scribere sinistra, et, iubente imperator, etiam sinistra eius abscissa est, * et eum eiecit *imperator* in exilium in Cucusum Armenorum, et ibi mortuus est.

* p. 267.

Hanc itaque historiam e libris Maronitarum adversus Maximianos[1] sumpsit Simeon Kenneshrinensis, et e libro eius exscripsi illam. Quomodo autem Romani rursum hanc haeresim introduxerint et eam admiserint, postea exponemus, dirigente Domino.

CXXXI. Quomodo afflicti sint monachi in monasterio Kenneshrinensi. — Anno 960°, in pago qui vocatur Zibana, ad Euphraten, in dicione Sarugiensi, fodierant quidam in vicinia pagi ut eruerent terram; et dum fodiunt invenerunt tabulam lapideam in qua scriptae erant tredecim tabellae[2] litteris Me-

[1] Maronitae monothelismo addicti Maximum odio habebant. — [2] Fortasse vertendum « columnae ».

dicis quas nemo legere potuit; et cum fodiissent sub lapidem invenerunt lebetem aeneum parvum et in eo idolum parvum aeneum, cuius collum circumdabat catena. Adduxerunt magos et incantatores, quia dicebant id ab antiquis incantatoribus de-
5 fossum fuisse. Et postquam incantationes fecerunt in idolum, locutum est cum eis et dixit: Sexaginta milia daemonum hic sunt ligati in hoc idolo. Et dixerunt: Quid iubetis nos; quo ibimus? Magi autem, postquam solverunt catenam e collo idoli, dixerunt: Ite et intrate in monachos monasterii Kenneshrin. Et eo tempore
10 multa mala et morbos perpessi sunt monachi huius monasterii. Et cum in plerisque eorum ingressi essent diaboli, glociebant sicut gallinae, balabant sicut caprae, deridebant imagines sanctorum, vocabant Petrum piscatorem incultum, Paulum caput excoriatum, Thomam semispadonem, Iohannem bar Aphthonii
15 longam barbam, Mar Ephraemum barbulam siccam, Mar Theodorum luscum; et multa alia effutiebant monachi isti. Demum plerique seipsos proiecerunt * in flumen, quod erat prope monasterium, et suffocati sunt. * p. 268.

De expeditione Moawyae in Cyprum: quomodo eam expugna-
20 verit et populum captivum abduxerit. — Cum igitur anno 960° Alexandri cogitarent Hagareni et consilium caperent de insula Cypro occupanda, misit Moawya emirus colligere naves innumeras et navigia multa, et ea alligavit ad littus maris. Mandavit quoque duci exercitus Alexandriae ut mitteret etiam naves et
25 exercitum numerosum ex Aegypto. Is statim ac recepit epistulas Moawyae misit naves deferentes exercitum magnum in auxilium emiri Moawyae; profectae sunt et venerunt celeriter. Et simul coniunctae sunt naves; et mare similitudinem silvae praebebat ob numerum navium, quae adeo late aquas operiebant. Et pan-
30 derunt vela in speciem turrium magnarum, et, ut ita dicam, commota sunt fundamenta abyssi. Mille et septingenta numero fuisse navigia, aiunt, quae omnia eodem tempore mare ingressa sunt. Stupor enim cecidit in omnes qui ea viderunt: nam operiebant fere fluctus maris, et viris strenuis et bellicosis
35 instructa erant, qui accincti erant armis et destructionem atque ruinam minitabant Cypro, civitati amoenae, cui nunquam dominatus fuerat depraedator aut exactor. Cum ergo gressi essent et ad eam pervenissent, et non multum ab ea remoti essent

iussit Moawya, dux exercitus, malos navium everti et eas ad littus consedere. Volebat enim misericordia uti, ut accepta fide domini insulae se submitterent, non autem in pugna, ira et gladio locum vastare. Navem in qua erat transire fecit primam ante
* p. 269. omnes * naves quae cum eo erant, et dixit sociis suis: Stemus 5 hic, dum videbimus num ad nos exibunt incolae Cypri et sument fidem pro vita sua, ne destruantur locus et habitatores eius. Et postquam diem unam et alteram expectavit, et neminem viderit postulare pacem aut supplicare ne insula vastaretur, dolore affectus est ob perditionem miserorum. Hi etiam qui de Aegypto 10 venerant, accesserunt et eum vituperabant et carpebant verbis hostilibus et ira plenis, eo quod cunctatus est, et eis ingressum insulae prohibuit. Inde victus est obiurgationibus Alexandrinorum, nec valuit eorum impetum cohibere. Iussit eos statim exsilire et invadere insulam. Et cum, levatis oculis, incolae 15 Cypri viderunt naves plurimas, putaverunt miseri Romanos esse qui mari veniunt ad eos. Et sic venerunt et appulerunt terram, demiserunt anchoras et alligaverunt naves, et fortiter armati exierunt in terram et dispersi sunt in totam insulam devastantes, depraedantes et trucidantes sine misericordia. Moawya au- 20 tem, cum ducibus suis et officialibus qui eum comitabantur, viam suam direxit ut ingrederetur famosam Constantinam[1] quae erat caput totius loci, et cum pervenissent et ingressi essent hanc civitatem, secundum desiderium eorum, invenerunt eam in abundantia et quiete sedentem plenam habitantium ex omnibus 25 gentibus quae sunt sub caelo; vidit opulentiam, admiratus est palatia et aedificia eius numerosa, et exaltatum est cor eius; inflatus est et exultavit spiritus eius, videndo quot thesauros et divitias acquisivit sine pugna et sine praelio; et cum potitus esset urbe, gladio et depraedatione, sedem constituit in episco- 30 pali domo quae erat domicilium et requies seu conventus principum sacerdotum ecclesiae; et cum ingressus esset in eam cum
* p. 270. honore et in ea requievisset sicut * voluit, explevit in ea desiderium illegetimum. Et puto Deum id permisisse ob possessores et ministros perversos qui steterunt in hoc loco, et sacerdotes 35 legis custodes qui ignorarunt Dominum et declinaverunt a fide

[1] Sic; leg. Constantia. Olim Σαλαμίς.

et moribus gloriosi doctrinis divinis Epiphanii, cuius diebus aedificata et constituta fuerant haec loca sancta. Omitto enim supputare scelera multa quae in ea perpetrabantur: sive habitus et mores atheismi, sive luxuriam seu libidines et blasphe-
5 miam in Deum; et quomodo sacerdotes templum Fortissimi in usus profanos et in speluncam latronum mutaverunt; quomodo reiecerunt castitatem, puritatem et sanctitatem, et pro istis introduxerunt lasciviam, impudicitiam, adulterium, fornicationem: unde impletus est calix faece furoris Domini, et quasi per
10 iram super hanc civitatem humiliatam effusus est.

Postquam ergo dispersus est exercitus barbarorum in totam regionem, sicut supra dixi, aurum, et captivos et vestes pretiosas collegerunt et in civitatem Constantinam, apud Moawyam, ducem exercitus, attulerunt; cum autem viderent totam prae-
15 dam quae collecta est, Moawya et qui cum eo erant gavisi sunt gaudio magno; et totam captivitatem et praedam quam collegerant, viros, inquam, et mulieres, et omnem aetatem, et aurum et argentum cum reliquis omnibus, diviserunt in duas partes, et sortem miserunt ambo exercitus, et unam partem tulerunt
20 Aegyptii et altera exercitui Syriae contigit. Et postquam mansi sunt ibi quamdiu eis placuit, conscendere fecerunt in naves suas totam captivitatem in clamoribus, lacrimis et gemitibus inenarrabilibus, dum separantur patres a filiis, filiae a matribus, fratres a fratribus, alii Alexandriam alii in Syriam * de- *p. 271.
25 ducendi. Et ita in tranquillitate et quiete magna gressum fecerunt naves, et in loca sua reversae sunt.

CXXXII. — Expeditio altera Saracenorum in Cyprum. — Cum itaque conversa esset facies Domini ad insulam, in malum non autem in bonum, et vellet eam facere probrosam et male-
30 dictam coram omnibus populis, excitavit paullo post Barbaros et ducem eorum, qui vocabatur Abulawarus, ut insulam Cyprum rursum invaderent. Et id quidem, quia audiverant eam denuo ingenti populo excultam, et in ea advenisse exercitum haud mediocrem Romanorum. Itaque, paratis navibus, eisque
35 Saracenorum ingenti copia plenis, coeperunt gradi per fluctus maris in omni serenitate, tranquillitate et quiete. Populum autem numerosum qui ex speluncis, montibus et locis absconditis se collegerat et insulam repleverat, hortabantur milites romani

et vana spe confortabant, dicentes: Sedeant omnes sine timore et sine ullo tremore. Cum autem exercitus Saracenorum mare gressus pervenisset ad insulam, exierunt in eos Romani et incolae, et viderunt eos suis oculis; tum stupore perculsi sunt ob numerum navium, defecit cor eorum manusque relaxatae sunt, 5 et fugam ceperunt. Aliqui salvati sunt, quia divites erant et possidebant naves, quibus aufugerunt in Beth Romayē, et salvati sunt ; alii vero, ut vitarent mortem aut captivitatem, in civitatem quae vocatur Lapethos, in ipsa insula, ingressi sunt. Romani autem in quibus confidebat insula, cum viderent Sara- 10 cenos proximos et se * mox perituros, conscensis suis navibus, aufugerunt et ita impetum Saracenorum vitarunt. Et statim ac appulerunt Saracenorum naves ad littus, exercitus qui in eis erat in aridam adscendit. Montes et planities eis repleta sunt: alii captivos faciebant colligentes populum, pecudes bonaque ; 15 alii e cavernis, speluncis, caveis terrae educebant homines sicut ova derelicta in nido. Abulawarus dux exercitus Constantinam civitatem famosam petiit, et in ea quadraginta dies mansit, eamque diripuit et voravit capitatim. Et postquam depraedati sunt totam insulam, et expleverunt in ea desiderium suum, con- 20 venerunt omnes in civitatem Lapethum, et dies permanserunt ad eam, incolas verbis promissionum pacificarum plenis allicientes; sed cum non assentirent obsessi, demum erexerunt in eam ballistas per totum eius circuitum. Et valde premerunt urbem iactu lapidum et pugnis validis. Et viderunt incolae nullum ef- 25 fugium nec ullam spem auxilii sibi adesse, tum petitionem miserunt duci exercitus, ab eo suppliciter postulantes ut eis fidem de vita eorum faceret. Is vero alacriter in omni misericordia annuit petitioni eorum, et mandavit eis dicens: Aurum, argentum et divitiae quae inveniuntur in civitate mea erunt; vobis 30 autem do fidem et pactum firmum, ut qui ex vobis vellent abire in Beth Romayē, abeant, et qui vellent manere, vivi et liberi maneant. Et sic obtinuerunt civitatem. Et collegerunt omne aurum, et argentum, et thesauros civitatis. Et replevit dux navigia sua spoliis copiosis, et gradientes per mare victores in regio- 35 nem Syriae reversi sunt.

* p. 272.

* p. 273. * Quomodo expugnata sit Aradus civitas munitissima in mari.

— Aradus civitas, quae Arad Const[antini] [1] appellatur, insula est in mari, quae contra Antaradum sita ab ista circiter tria milia distat. Et cum non potuisset Moawya, eam bello expugnare, misit ad eos quemdam episcopum nomine Thomam [2],
5 qui ab eis postularet ut derelinquant urbem, et exeuntes abeant in pace. Cum autem ingressus esset ad eos episcopus, eum apprehenderunt nec redire ei permiserunt, nec Moawyae se submiserunt. His factis, Moawya Damascum reversus est, quia iam aderat hiems, et tempore hiemali non poterant urbem impu-
10 gnare. Adveniente autem vere, Moawya rursum aggressus est Aradum, habens exercitum priore valde copiosiorem et apparatum ingentem. Et cum viderent incolae Aradi urgentes necessitates et pugnas fortes quas Moawya adversus civitatem eorum instituebat, acceperunt fidem pro vita sua, ita ut aliis in Beth
15 Romayē abire, aliis in Syriam discedere, et quo vellent habitare liceat. Et postquam egressi sunt incolae ex urbe insulae, iubente Moawya, murum everterunt, igni urbem cremarunt, eam destruxerunt et talem fecerunt quae instaurari aut habitari in aeternum non possit.

20 CXXXIII. De caede Iezdegerdis regis, et de ultimo fine imperii Persarum. — Eo anno [3] misit Othmanus rex Saidum filium suum, ut Iezdegerdem regem Persarum persequeretur. Iezdegerdes autem, adventu eius audito, e Segestana profectus est et venit Maru, quae est *caput* sedes Chorasanae, et in ea urbe
25 mansit duos annos, fugiens coram Saido. Et post haec Maru pervenit Saidus; * Iezdegerdes vero, timens ne traderent eum, ab urbe discessit, et intra quoddam molendinum latuit. Eum autem invenit molendini herus et occidit, eiusque caput misit marzbano civitatis. Et cum vidisset marzbanus caput domini
30 sui, Maru Arabibus tradidit. Et regnare coepit Saidus; sumpsit coronam regum Persarum, et eam Othmano misit. Othmanus vero eam deposuit in oratorio quod vocant Caaba, ubi est usque hodie.

Hoc anno, legatum misit Constans ad Moawyam emirum Sy-
35 riae, qui erat Damasci, pacis causa. Et, sancita pace inter eos,

* p. 274.

[1] Sic interpretandam conicio vocem compendiose scriptam. — [2] Thomaricus ep. Apameae (Theoph.). — [3] Anno 961 (Michael Syrus).

Saraceni a Constante obsidem acceperunt pro pace, Gregorium, filium Theodorici fratris Heraclii; sed post annum mortuus est Gregorius; et condiverunt corpus eius illudque Constantinopolim miserunt. Et soluta est pax.

CXXXIV. De classi quam paravit Moawya ut mitteret urbem regiam obsidere, est de pugna navali inter Arabes et Romanos. — Anno 966° Graecorum, 13° Constantis, 37° Arabum, et 9° Othmani, iussit Moawya, emirus Syriae et Damasci, naves parari magno numero, ut per mare gradientes solvant in Constantinopolim. Facta est autem haec praeparatio ad littus maris in urbe Tripoli. Paratis autem copiis multis, eas misit Moawya cum Abulawaro. Processerunt per mare et pervenerunt Phoenicuntem ad littus maris Lyciae[1]. Et ibi eis occurrerunt Constans imperator Graecorum et Theodosius frater eius, cum ingenti numero navium, et se disposuerunt ut cum eis committerent praelium. Et cum nocte dormiret imperator somnium habuit quo se Thessalonicae reperiri videbatur. Et quando narravit somnium cuidam somniorum interpreti is ei dixit: Utinam, o * p. 275. rex! non dormivisses, nec * hoc somnium vidisses; Thessalonica enim interpretatur: T h ē s a l l ō t ē n n i k ē (n), id est: Cede alii victoriam. Sane ad tuos inimicos declinat victoria[2]. Imperator autem somnii interpretationem sprevit, et praelium committi iussit. Et postquam mari per longum tempus pugnaverunt devicti sunt Graeci, et parum abfuit quin imperator in manus inimicorum incidat, nisi filius Buccinatoris insiluerit in navem regiam et imperatorem in aliam transire fecerit; ipse vero mansit in navi regia et eum undique circumdederunt inimici, putantes eum esse imperatorem. Itaque captus est et occisus, postquam ipse multos occiderat antequam moreretur. Et persecuti sunt Saraceni Romanos usque Rhodum. Et adeo vehemens fuit pugna in mari, ut fertur, ut quasi pulvis e terra oriretur vapor inter naves. Iussit Abulawarus cadavera Romanorum eripi et educi ex aquis, et crevit numerus eorum ad viginti milia. Et sic, cum victoria tam famosa, sumpserunt Saraceni captivos et divitias cuiusque generis, et in suam regionem reversi sunt.

CXXXV. — De caede Othmani filii Affani, regis Arabum.

[1] Legendum ܠܘܩܝܐ. — [2] Cf. Theophanem ad ann. 646.

— Arabes autem iam dudum offensi erant Othmano, ut supra exposuimus, quia non ambulabat in viis regum eius decessorum, Mohammedi, inquam, Abu Bekri et Omari; nam isti ambularunt in via humilitatis et mediocritatis, secundum viam prophe-
5 tae; hic vero sibi fecit currus, et vexilla varii coloris, etiam tympana et tubas, et buccinas quibus ante eum sonarent; praeter ea, etiam occupavit locum gradibus *elatum*, seu suggestum in quo adscendebat Mohammedus propheta eorum tempore orationis. Postquam mortuus est Mohammedus et ei successit Abu
10 Bekr, is humilitatem ostendit, et uno gradu * inferius quam Mohammedus stabat et proclamationem faciebat tempore orationis secundum eorum morem. Mortuo autem Abu Bekro Omarus filius Chaṭṭabi successit, et is quoque humilitatem manifestavit et altero gradu descendit, inferius quam stabat Abu Bekr,
15 et praedicabat secundum morem eorum. Cum autem mortuus esset Omarus, Othmanus qui regnavit post eum, adscendit ad gradum superiorem, ubi stabat Mohammedus. Et id excitavit magnum zelum populi Arabum adversus Othmanum; et volebant eum occidere. Etiam alia causa fuit caedis Othmani. Vir
20 nomine Mohammedus filius Abu Bekri avi[1] Mohammedi prophetae eorum, petiit ab Othmano ut ipsi daret principatum Damasci, et eiceret Moawyam. Non consentiebat Othmanus; et urgebatur a Mohammedo filio Abu Bekri. Crescebat autem zelus adversus Othmanum opere Alī filii Abu Thalebi qui regnare
25 voluerat post Mohammedum prophetam, sed id non obtinuit. Et is, ut dicunt, zelum incitabat Mohammedi filii Abu Bekri, ut petat principatum Damasci. Cum autem molestaretur Othmanus a dicto Mohammedo, scripsit huic epistulam ad Moawyam, obsignavit eam et ei dedit ut iret regnare Damasci. Ve-
30 rum, scripsit in epistula: Ubi adveniet Mohammedus apud te, occide illum. Accepit igitur epistulam, et cum gaudio venit apud Alī filium Abu Thalebi. Ali vero qui optime sciebat non esse possibile Othmano ut Moawyam destitueret, quia ex eius familia erat, dixit Mohammedo: Haec epistula ut necareris, non
35 ut regnes, scripta est. Et cum aperuissent epistulam, inventa est qualis opinatus erat Alī. Is Alī hortatus est Mohammedum,

* p. 276.

[1] Ita sonat vox s ā b ā ; sed hic valet « socer ».

ut sumeret epistulam. Et ivit die veneris, dum colliguntur Ara-
*p. 277. bes in mesgida, * et cum adscenderet Othmanus suggestum, pro more, ut praedicaret, surrexit Mohammedus epistulam manu tenens, et ait coram populo: O emire fidelium et vicarie prophetae Dei, quid meretur vir arabs qui necem meditatur viri 5 arabis, qui in ipsum non peccavit? Respondit Othmanus: Morte dignus est. Tunc aperuit epistulam coram omnibus Arabibus, et ait: Tu voluisti me occidere, cum in te non peccaverim. Othmanus vero negavit et dixit: Non a me scripta est. Sed postquam convocatus est scriptor, confessus est se, iubente Othma- 10 no, scripsisse. Tunc vociferatus est omnis populus Arabum, et convenerunt ad portam Othmani ut eum occiderent. Et auxilium quaesivit Othmanus apud Alī filium Abu Thalebi, ut ipsum liberaret. Is misit ei duos filios suos, Hasanum et Hosainum, qui cum advenissent, averterunt populum a porta aulae 15 Othmani, et ibi sederunt ut custodirent eum. Arabes vero, ira inebriati, parietem fodierunt ex altera parte, ingressi sunt et Othmanum filium Affani necarunt Iathrippis (*i. e. Medinae*).

CXXXVI. Regnum Alī, et bellum exortum inter hunc et Moawyam. — Postquam occisus est Othmanus, statim scripsit 20 Alī diploma et mandatum dedit Mohammedo filio Abu Bekri, ut eat Damascum et Moawyam destituat. Cum advenisset Mohammedus Damascum et ostendisset epistulas Alī, non accepit eas Moawya, sed rebellavit in Alim et dixit: Non admitto Alim regnare in Arabes; sed mittatur mihi is qui occidit Othmanum, 25 et ego ab eo vindictam sumam. Et etiam Amrus filius Aṣi, sapiens et astutus, qui Aegyptum tenebat, concors erat cum Moawya, sicut omnes Arabes Occidentis. Et reversus est Mohammedus apud Alim cum legato Moawyae qui postularet occisores Othmani. Qui cum pervenisset Cufam apud Alim is adscendit 30
*p. 278. feria sexta in suggestum, pro more, et dixit omnibus * Arabibus in mesgida congregatis: Ecce Moawya misit quaerens eum qui necavit Othmanum; nunc quicumque participavit in caede Othmani sedeat in terram. Et omnis populus sedit. Rursum ait: Quicumque participavit in caede Othmani pedibus stet. Et 35 stetit omnis populus universim. Tunc ait Alī legato: Ecce vidisti oculis tuis non unum virum occisorem esse Othmani, sed omnes Arabes qui sunt in civitate. Iam ergo dic domino tuo,

ut pulcre se submittat nec insurgat adversus legem. Et cum reversus esset legatus Moawyae, *is* se paravit et collegit copias suas; et numeravit eas: centum et viginti milia hominum. Etiam Alī se disposuit et adscendit ut veniret Damascum cum 5 nonaginta milibus hominum. Et egressus est Moawya Damasco; et sibi invicem occurrerunt ad Euphraten, prope Callinicum, in loco Saffīn[1] dicto. Et ambo praelium commiserunt, et occisa sunt ex utraque parte circiter sexaginta milia hominum. Et reversus est Alī Cufam; Moawya vero Damascum rediit.

10 Et protractum est bellum inter Arabes. Damasci atque in toto Occidente, tempore orationum suarum e suggestu Alim anathematizabant, in Oriente vero et Cufae anathematizabant Moawyam. Post annos demum consilium ceperunt Arabes faciendi pacem et finem huic schismati imponendi. Ambae 15 partes optime consenserunt ut eligerentur duae personae, una e parte fautorum Alī, et altera e parte fautorum Moawyae; et omnis populus harum duarum personarum sententiam probet; alterutri adiudicent imperium, Moawyae, inquam, vel Alī, huic adhaereat universus populus sine contestatione. Ex parte as- 20 seclarum Moawyae electus est Amrus filius Aṣi; ex parte asseclarum Alī, Abu Musa qui cognominatur Asharita. Et dum ambo gradiuntur in via, voluit Amrus filius Aṣi, * qui vir astutus erat, tentare Asharitam, et ait illi: Praebe mihi aurem et dicam tibi secretum. Et cum is appropinquasset aurem ad auscultan- 25 dum, intellexit Amrus filius Aṣi, hunc esse virum simplicem; nam quis erat ibi qui audiret secretum, ut indigeat appropinquare aurem? Idcirco ait illi: Accipe consilium meum, o Abu Musa. Pactum mutuo faciamus: ut filia tua sit uxor filii mei, et sit filius meus rex, et ei adiudicemus imperium. Et tu cum 30 adscenderis suggestum, die veneris, dices populo: Abstuli imperium ab Alī, sicut aufertur hic annulus e digito meo. Et tunc adscendam suggestum et dicam: Indui imperio talem filium meum, sicut induo hoc annulo digitum meum. Abu Musa probavit consilium. Et cum ambo Damascum pervenissent, suggestum 35 adscensit Abu Musa, et prout didicerat ab Amro filio Aṣi, ait: Abstuli imperium ab Ali; tum adscendit Amrus suggestum et

* p. 279.

[1] Σαπφίν (Theoph., ad ann. 651).

ait: Indui imperio Moawyam, et illud ab Alī abstuli. Et cum id factum esset, nihil profuit; sed aemulatio magis crevit, et rursum ad bellum se paraverunt, nec cessavit caedes aut pugna inter eos toto tempore vitae Alī, immo nec post mortem eius, sicut ostensuri sumus. 5

. De caede Alī. — Et cum viderent Arabes hoc bellum, tres viri zelo accensi se disposuerunt ut irent singuli singulos occidere quorum causa iam gladius dominabatur inter Arabes, Alim, inquam, et Moawyam, et Amrum filium Aṣi, qui erat in Aegypto. Ille autem qui Aegyptum petiit apprehensus et necatus est. Alter venit in castra Moawyae, et pariter captus et occisus est. Tertius vero, qui vocabatur Abderraḥmanus filius Molgemi, venit * Cufam; ingressus est summo mane et latuit in mesgida. Cum autem veniret Alī ad orandum in mesgida, eum sequutus est, percussit gladio et occidit. Et cum exiret e mesgida, apprehensus est ab intrantibus qui viderant eum currentem. Et cum ingressi essent mesgidam et invenissent Alim iacentem, hunc interrogaverunt: Quis te percussit? Respondit eis: Hic Abderraḥmanus filius Molgemi. Iam vero si mortuus fuero, semel eum gladio ferite; si mortuus fuerit, educite eum; si vixerit, dimittatur; nam ipse semel me percussit. Et post duos dies mortuus est Alī, et Arabes Abderraḥmanum occiderunt.

* p. 280.

Et postquam mortuus est Alī, regnare fecerunt Arabes eius loco Ḥasanum filium eius, qui post parvum tempus, peremptus est veneno letali quod ei datum fuit. Et regnavit post eum Hosainus. Hi filii Alī ambo nati sunt e filia Mohammedi prophetae Arabum, quae Fatima appellabatur. Et non cessavit lucta inter Arabes. Se paravit Moawya ad bellum adversus Hosainum, et venit in Orientem. Consertum est praelium inter eos. Et devicti sunt fautores Hosaini, et plerique eorum occisi sunt. Et ipse Hosainus occisus est in loco dicto Kerbela, postquam ante caedem siti torquatus est. Occidit autem eum vir ex Arabibus qui vocabatur Shemirus. Plerosque e familiaribus et cognatis Alī occiderunt, et tulerunt eorum uxores et filios et perdiderunt eos tormentis et cruciatibus. Et totum imperium remansit uni Moawyae filio Abu Sofiani, ex gente Omaya. Ei natus est filius, et eum vocavit Iezidum, nomine fratris sui defuncti,

quem supra memoravimus. Et sedem regni transtulit Cufa Damascum; et in hac urbe deposuit thesauros regios, postquam gubernavit Arabes, tanquam dux exercitus, per annos viginti. Erat enim vir callidus, qui habebat longanimitatem infinitam, 5 et philanthopiam. Audiebat * opprobria et tolerabat; et idcirco magis sibi conciliabat mentem Arabum. * p. 281.

Et inde copiae Arabum in duas partes divisae sunt. Arabes Iathrippis et in regione Babylonis habitantes se separaverunt ab iis qui sunt Damasci et in Aegypto, usque ad mortem Ho- 10 saini, uti exposuimus. Fuit autem schisma inter Arabes ab hoc tempore usque hodie.

Ferunt hunc Moawyam filium Abu Sofiani, ad hanc summam longanimitatem pervenisse: quidam Arabs percussit filium parvulum quem habebat Moawya, et mortuus est puer. 15 Apprehenderunt virum et adduxerunt ad Moawyam. Dixit ei: Quare occidisti puerum? Ille respondit : Per vitam tuam, o rex, semel percussi eum invitus, et mortuus est. Nunc tuum est uti abundanti misericordia tuae bonitatis. Moawya respondit ei: Vade, rationem reddes coram Deo!

20 De caede Ḥarranensium. — Tempore contentionis inter Alim et Moawyam, legatum misit Alī ad omnes incolas Mesopotamiae ut eum adiuvarent adversus Moawyam; et cum venisset legatus usque Saffīn ad Euphraten, misit ad Ḥarranenses, et hi promiserunt se adiuvaturos eum adversus Moawyam; sed cum 25 advenisset Moawya, et certamen inter ipsum et Alīm instituerctur, Ḥarranenses adiuvarunt Moawyam. Moawya autem Damascum profecto, Alī venit Ḥarran, et plerosque cives gladio interemit, adeo ut sanguis flueret et exiret porta civitatis. Ideo, in ultima pugna Moawyae adversus filios Alī, multi ex Ḥarra- 30 nensibus ad pugnam processerunt. Et usque hodie honorant Iezidum filium Moawyae, qui fuit hostis strenuus familiae Alī.

CXXXVII. Quod voluerit Constans imperator transferre * sedem imperii Romam, ut olim. — Constans imperator, postquam occidit fratrem suum, sciens se esse odio militibus, et ti- 35 mens ne ipsum necarent, Constantinopoli discessit et sedem suam Romae fixit. Postquam parvum tempus illic mansit, coeperunt senatores murmurare dicentes: Indecorum et incongruum est imperio ut sis Romae, quae ab Arabibus remota est. Tum * p. 282.

discessit Constans Roma, et venit in insulam Siciliam. Illic pervenit ad Syracusas civitatem Siciliae. Ipsi gratum erat in eis habitare, et iussit optimates qui cum eo erant, in eis aulas sibi aedificare et possessiones atque bona acquirere. Mandavit etiam filiis suis ut ad se Constantinopoli venirent. At cives non siverunt eos proficisci, sed retinuerunt eos, dicentes: Non sinemus imperatores nostros a nobis discedere.

Et anno 976°, Constantis 23°, Arabum 44°, fuit perturbatio in festo Resurrectionis celebrando. E christianis alii illud fecerunt in festo Palmarum, alii in dominica Nova secundum priores.

Hoc anno fuit defectio solis, et apparuerunt stellae.

Hoc anno defunctus est Mar Iohannes patriarcha, et Mar Simeon metropolita Edessae: uterque eodem mense.

Hoc tempore notus erat sapientia Severus Sebōcht, episcopus Kenneshrīn, et Matthaeus Halebi.

Et anno 5° Moawyae, invasit regionem Aegypti et trucidaverunt copiae eius omnes Romanos qui ibi aderant, plusquam quinque milia.

CXXXVIII. De rebellione adversus Constantem imperatorem Romanorum. — Anno 26° Constantis, in eum rebellavit quidam ex eius ducibus nomine Saborius. Is direxit ad Moawyam, regem Arabum, legatum quemdam nomine Sergium et per hunc promisit se totam * dicionem Romanorum ei subiecturum, si ipsi mittat exercitum et ipsum in caede Constantis adiuvet. Cum id rescivisset Constantinus filius Constantis, qui Constantinopoli erat, misit et ipse legatum ad Moawyam, quemdam Andream eunuchum, cubicularium imperatoris, cum donis pretiosis et muneribus regiis, rogans eum ne declinaret in partes rebellis neque eum in sua audacia adiuvaret. Et profectus est Andreas eunuchus iumento[1] celeri et pervenit Damascum. Invenit Sergium, legatum Saborii, iam ingressum esse apud Moawyam, et ab eo bene exceptum fuisse. Et audivit rex Moawya adventum Andreae: nomen enim eius celebre erat apud Arabes; etsi erat eunuchus, tamen excellebat operibus, virtute militari et eloquentia. Et iussit Moawya, ob antipathiam erga Constantem, Sergium primum ad se introduci, deinde

* p. 283.

[1] Vox incerta in textu; fortasse « veredus ». Cf. p. 222, l. 26.

Andream eunuchum. Et ita factum est. Ingressus est Sergius et sedit apud Moawyam. Dein iussus est Andreas ingredi. Et cum ingrederetur et staret coram Moawya, festinus exsurrexit Sergius et stans salutavit eum. Quod cum videret Moawya
5 Sergio iratus est et eum allocutus ait: O mente capte et timide: quid tibi accidit, et quare hunc veneraris? Si is, qui servus est, tantum te terret, ut surgas ad eum salutandum, quid non faceres, si videres eum qui hunc misit? Ille respondit: Ex consuetudine deceptus sum et id feci, non autem ob timorem
10 eius. Tunc Andream interrogavit Moawya: Undenam venis, et quid postulas? Is respondit: Ab imperatore meo ad te missus sum, o emire, ad hoc ut velis hunc qui apud te sedet expellere. Ei respondit Moawya: Imperator tuus, et qui hunc misit, et * vos omnes, inimici nostri estis. Verumtamen illum qui consentit * p. 284.
15 nobiscum et curam habet rerum nostrarum, adiuvabo. Idcirco, si imperator tuus plus dederit nobis auri adiuvabimus eum adversus tyrannum qui in eum rebellavit; si autem qui hunc delegavit plus nobis dederit quam ille et nobiscum concordiam manifestaverit, eum sustinebimus. Ad haec ei respondit An-
20 dreas: Verum est, emire, ambo inimici tui sunt, imperator meus et rebellis in eum; attamen est inimicus inimico praestantior, sicut etiam amicus amico. Non enim pares sunt herus et servus. Ille quidem tanquam dominus liberaliter et decenter res tractat, is autem, servilibus ministeriis assuetus, serviliter et sicut decet
25 plebeios dat promissiones se maiores, quae effectum non habent. Si igitur imperator meus foedus feriat qualecumque, etiam si sit minus quam id quod promitit tibi rebellis, decet te fidem illi dare et non spernere. Si autem ille tyrannus magnis promissis conatur te sibi conciliare, bene scito hunc mendacem
30 esse, nec veracem sermone suo. Si enim domino et benefactori suo tantam retributionem malam rependit, quomodo erga te, qui es inimicus eius, promissa sua servabit? Verum, prout tibi placet ita fac. Moawya ei respondit: Optime locutus es; verumtamen discede nunc. Vade et meditare quae a nobis
35 audivisti, et crastina die redibis. Et postquam Andreas egressus est, ait Moawya Sergio: Et tu discede ad diversorium tuum; cras prior veni, et caveas ne salutes hunc eunuchum, sicut hodie fecisti. Et altera die praecessit Sergius Andream et

* p. 285. ingressus est ad Moawyam * qui eum sedere iussit. Tunc venit etiam Andreas; et ipse quoque iussus sedit. Et non surrexit Andreas obviam ei pro more. Tunc intuitus est Sergium Andreas et graece eum vehementer allocutus est: O desperate et ter miser, quare non surrexisti e tuo loco et non obviam mihi ingredienti 5 venisti, ut decet ordinem servilem; sed sedisti, ut gloriari possis coram Moawya de tua audacia. Sergius autem ei respondit dure, despiciens et contemnens eum; effeminatum vocabat illum, nec virum nec mulierem neque ⌜alterutrum[1] seu unum ex duobus. Tunc dixit ei Andreas: Si dederit Deus mihi vitam, poenam 10 actionis tuae lues; nam testiculos tuos e loco eruam et in manus tuas ponam. Et cum ambo contenderent coram Moawya, silentium eis imposuit, et Andream allocutus ei ait: Quid dicis? Annuis facere pactum, quale est pactum Sergii, et dare quantum ille promisit, an non? Respondit Andreas: Quale est 15 pactum, o emire? Dixit ei Moawya: Nomen quidem imperii et fruitio erit vobis; proventus vero locorum erunt Arabibus. Si tibi placet, promitte et pasciscere; si autem non tibi placet, recede et vade in pace. Ei respondit Andreas dicens: Itaque secundum petitionem tuam, o emire, competet Arabibus corpus 20 tenere, nobis autem umbram. Quid utilitatis inde nobis erit? Sed sicut optas, tibi tractandum est cum Sergio. Nos auxilium obtinebimus a Deo, qui melius quam tu imperium Romanorum adiuvare potest. Et discessit Andreas Damasco et, conscensa mula imperiali, iter fecit versus Melitenam, ea via qua Sergius 25 transiturus erat versus illum qui eum miserat; et iussit custo-
* p. 286. des * Callisurae[2] struere insidias faucibus montium, ut apprehenderent Sergium quando transibit. Sergius autem postquam pactum fecit cum Moawya, ut is mittat exercitum Arabum in auxilium Saborii, praecessit ut nuntiaret rebelli adventum 30 exercitus. Et cum pervenisset ad angustias et iam penetraverat in aliqua valle, surrexerunt insidiatores, apprehenderunt hunc Sergium, ligaverunt eum et viros qui cum eo erant, et ad Andream cubicularium eum miserunt. Et cum staret coram eo, prostravit se in faciem et se humiliavit, supplicans ut ipsi 35

[1] Vox graeca οὐδέτερον syriace scripta; parum concinne post negationem adhibetur. — [2] Vel fortasse melius « clausurae » κλεισωρεία?

veniam concedat. Andreas autem ei dixit: Tu es ille Sergius qui de testiculis tuis gloriabaris, et coram Moawya superbiebas, et me effeminatum appellabas? Et iussit amputari testiculos eius, eosque poni in manibus eius; dein, ipso mandante, ligno eum affixerunt. Et sic vindictam a Sergio sumpsit Andreas.

Moawya autem, secundum pactum inter se et Sergium sancitum, misit Phadalam [1], ducem exercitus, cum multis Arabibus, in auxilium Saborii rebellis; cum autem perveniret exercitus apud tyrannum, accidit ut equitaret Saborius et exiret porta aulae suae; et exsiluit equus et eum pressit inter septum et ḥ ṭ t a [2] portae, quassum est caput eius et mortuus est.

Cum autem Melitenae esset exercitus Arabum, et Phadalas Moawyae scripsisset de eis quae acciderunt, tunc misit Moawya Iezidum filium suum, qui Phadalam ducem assequutus est; et invaserunt regionem Romanorum. Ibi populati sunt, depraedati sunt, et quiquid voluerunt fecerunt. Tunc oppressi sunt Romani, et eis dederunt munera. Et pacem fecerunt Arabes et in sua loca reversi sunt.

Hoc anno, die quarta tešrīn posterioris, fuit media nocte magnum diluvium aquarum: destruxerunt aquae murum Edessae et eum perruperunt. * Impleta est civitas aquis et in ea suffocata sunt milia hominum. * p. 287.

CXXXIX. De morte Constantis, et de Mizizio Armeno, qui vane cepit regnum. — Anno 980° Graecorum, 27° Constantis, et 9° Moawyae, occisus est Constans, imperator Graecorum, Syracusis in civitate Siciliae, quae facta erat sedes imperii eius. Ingressus erat cum eo balneum Andreas filius Troili, et dum lavat imperatorem, replevit caput eius spuma saponis, et non poterat imperator oculos aperire. Et accepit Andreas situlam argenteam ante imperatorem positam, et ea caput eius percussit et confregit; et festinans egressus est e balneo, nec quisquam eum apprehendit. Imperatorem quidem deportaverunt et in regium palatium deduxerunt; et post duos dies discessit e mundo. Romani [3] autem in se regnare fecerunt patricium armenum nomine Mizizium. Cum autem nota esset

[1] Φαδαλᾶς (Theoph.). — [2] Vox mihi ignota. Teoph., ad ann. 659: « desultorio impetu caput ei ad portam allidit ». — [3] Mich. syr.: « Graeci »; vox R ō m a y ē etiam « milites » sonat.

Constantino caedes patris eius, descendit cum magno exercitu in Siciliam, apprehendit Mizizium et eum occidit, cum omnibus qui neci patris sui operam dederant, et Constantinopolim reversus est.

CXXXX. Imperium Constantini filii Constantis. — Anno 981° Graecorum, 49° Arabum, 10° Moawyae, regnavit in Romanos Constantinus, cum duobus fratribus suis, Tiberio et Heraclio. Et convocatis omnibus senatoribus, iussit et monuit eos ut servarent debitam submissionem sibi et suis fratribus, et ne quis divisionem inter eos audeat suscitare, dum conatur uni magis quam aliis gratum agere, aut familiaris esse.

Hoc anno primo regni eius, exercitus Arabum invasit Africam; et duxerunt in captivitatem octoginta circiter milia hominum, atque reversi sunt in loca sua.

* p. 288. CXXXXI. * De his quae acciderunt diebus Constantini; et de Mardaitis qui montem Libanum habitare venerunt. — Anno quarto imperii eius, illucescente feria tertia, quarta vigilia noctis, apparuit in caelo arcus integer: res insueta et praeter naturam, quod videatur arcus nocte dum sol est sub terram.

Et anno 9° eius imperii, venerunt quidam Romani navibus ad littus maris Tyri et Sidonis, et ingressi sunt in montem Libanum. Vocabantur Mardaitae [1]. Et occuparunt montem Galileae usque ad montem Nigrum [2]; et assidue egredientes regiones Arabum populabanur et vastabant.

Et anno 950°, dominica Resurrectionis, fuit terrae motus. Corruit Sarug, et etiam ciborium magnae ecclesiae Edessae, cum duobus lateribus externis ecclesiae. Permisit Moawya ut ruinas ecclesiae instaurarent.

Hoc tempore, Moawya misit in Beth Romayē Abderrahmanum qui vastavit et populatus est regionem, fuitque ibi duos annos. Hosainus, filius Ali, periit et ipse in certamine adversus Moawyam.

CXXXXII. De morte Moawyae, et quomodo Constantinus, cum vellet imperium filio suo tradere, fratres suos ex imperio expulerit. — Anno 59° Arabum, Constantini 11°, mortuus est Moawya rex Arabum, et Damasci eum sepeliverunt. Rexit autem

[1] Mārīdayē. — [2] I. e. Amanus.

Syriam, cum esset dux exercitus, viginti et unum annum, et regnavit annos alios viginti. Regnavit autem post eum Damasci Iezidus filius eius.

Post duos annos Constantinus imperator eiecit fratres suos 5 ex imperio. Habebat enim filium superbum, nomine Iustinianum quem existimavit pater dignitate imperiali dignum. Et machinatus est ut fratres suos expelleret et regnare faceret filium suum. Et coepit allicere Romanos [1] * modo verbis et * p. 289. donis, modo fraudibus et dolis. Et cum inclinarent principes 10 Romanorum [1] in placita Constantini, quidam nomine Leo, vir strenuus et notissimus non consensit voluntati imperatoris, dicens: Non decet ut eos qui iam cum imperatore regnaverunt, et quidem tres effigies in denariis seu daricis impressae sunt, contemnamus; ego non do manum, nec consentio. Iussit impe- 15 rator ut ei amputaretur lingua. Et cum iret cum carnifice clamabat dicens: Trinitas regnat in caelo; trinitas etiam regnet in terra; neque Trinitatem quae in caelo est abnego, neque trinitatem quae in terra despicio. Et dum haec forti voce clamat poenam passus est.

20 Post haec congregavit imperator optimates Romanorum, et adduxit fratres suos in medio eisque dixit: O Tiberi, et tu Heracli, quid dicitis me esse: fratrem vestrum an imperatorem vestrum? Si imperatorem vestrum, etiam ego vos fratres appellabo: si autem fratrem vestrum dixeritis, vos inimicos agnoscam. 25 Illi responderunt et ei dixerunt: Nos quidem te fratrem nostrum seniorem dicere et appellare non desistemus; imperatorem vero nostrum nunquam te nominabimus, eo quod tecum regnamus. Id dixerunt in senatoribus fiduciam habentes, qui eorum adversarii visi sunt, non fautores. Praevaluit in eos imperator, 30 et eos imperio privavit.

CXXXXIII. De morte Iezidi, et de confusione in imperio Arabum orta post mortem eius. — Anno 14° Constantini, Arabum autem 63°, mortuus est Iezidus rex * Arabum, filius * p. 290. Moawyae, postquam regnavit annos III, et menses V.

35 Hoc tempore, rebellavit in regione Aculae, et auctoritate potitus est vir nomine Muchtarus, vir mendax, deceptor, hypo-

[1] Vel « milites ».

crita; et dixit se esse prophetam. Et quia non habebat Iezidus filium qui ad aetatem regnandi pervenerit, orta est perturbatio inter Arabes. Qui in Oriente et Iathrippis erant, in se regnare fecerunt virum nomine Abdallam, filium Zubairi; qui autem erant Damasci et in Palaestina addicti erant familiae Moawyae, 5 et exspectabant donec creverit unus e filiis Iezidi ut regnum accipiat, qui vero erant in Phoenicia et in Syria in se regnare fecerunt Daḥachum filium Caisi. Et profectus est Daḥachus venitque Damascum praetextu decertandi pro filio Zubairi, sed revera quia volebat sibi principatum arripere. Muchtarus 10 vero non favebat filio Zubairi, neque familiae Moawyae.

CXXXXIIII. De regno Marwani Ḥakemi [filio]. — In medio huius perturbationis, quidam e Coraishitis, nomine Marwanus Ḥakemi filius, reliquit Iathrippa et cum filiis suis Damascum venit, et habitavit in domo Iezidi; et congregavit familiares 15 Iezidi, principes Damasci, et libertos Moawyae, eisque dixit: Audite me, viri; ego sum vir senex, et supra omnes Coraishitas huius temporis annis provectus sum. Nunc e Iathrippis veni, ut, Deo adiuvante, ambas partes adunirem. Non enim congruum est ut sibi mutuo adversentur filii eiusdem stirpis, 20 sed ut ei quem elegerit Deus adhaereant. Si igitur placet vobis, eligamus viros tres, et scribamus eorum nomina telis tribus; * p. 291. deponantur tela * ista in manibus viri consilii nescii, et postquam miscuerit ea manu sua, eiciat unum ex his telis in medium, et cuius nomen exiet in telo, hunc is nos regem 25 constituamus. Et cum haec audivissent a Marwāno, asseclae Moawyae laudaverunt eum; et ita fore decreverunt et statuerunt. Et exeuntes abierunt in Gabetha, apud Ḥasanum filium Malechi, emirum Iordanis, qui fautor erat familiae Moawyae; et cum ei nota fecissent quae dixerat Marwanus, annuit eorum 30 sermoni. Et scripserunt nomina tria super tria tela: nomen Amru filii Saidi, et nomen Abdallae filii Zubairi, et nomen ipsius Marwani filii Hākemi. Et tela manu sumpsit Ḥasanus filius Malechi, et miscuit ea et proiecit unum ex eis, et exiit nomen Marwani filii Hākemi. Et statim dederunt ei consensum 35 et eum regnare fecerunt. Daḥachus vero, iis audītis quae acciderant, cum paucis viris venit Gabetha; et cum appropinquaret, quasi explorator, castris Marwani et Hasani, apprehen-

sus est, apud Marwanum ductus fuit, et invitus consensum dedit. Sed, facta nocte, aufugit et reversus est in castra sua. Ubi illucescit, cum non inventus est Daḥachus, Marwanus e Gabetha profectus est et ivit post eum; et conseruit cum eo praelium. Occisus est Daḥachus, et socii eius consensum Marwano dederunt. Et ingressus est Marwanus Damascum; uxorem Iezidi in matrimonium duxit, et in regno confirmatus est. Postea se paravit Marwanus ut iret in Aegyptum, quia eum non acceperat.

CXXXXV. De morte Marwāni (filii) Ḥākemi, et de regno Abdalmalichi filii eius. — Nondum * anno expleto, Marwanus mortuus est Damasci. Et regnavit post eum filius eius, Abdalmalichus, anno 996°. Et ob bella multiplicia quibus involvebatur, praesertim ab istis Mardaitis, qui erant in monte Libano, voluit componere pacem cum Romanis, et misit ad Constantinum imperatorem, postulans ab eo ut secum pacem faceret, et bellum inter eos cessaret.

* p. 292.

De morte Constantini. — Hoc tempore mortuus est Constantinus imperator, filius Constantis, postquam regnavit annos XVI. Et regnavit post eum Iustinianus filius eius.

CXXXXVI. Imperium Iustiniani arrogantis. — Anno 997°, regnavit Iustinianus. Et anno primo regni eius, scripsit ad eum Abdalmalichus ob pacem. Ab eo petiit ut expelleret e monte Libano istos Mardaitas, et grassatores suos cohiberet a terra Arabum. Et haec inter eos pacta sunt: Mardaitae recedent e monte Libano; pax erit decem annorum; dabit Abdalmalichus Romanis, singulis diebus usque ad finem decem annorum, mille denarios, equum et servum; erit Cyprus tributaria utriusque partis. Erant autem Mardaitae in monte Libano duodecim millia praeter hospites et servos contumaces.

CXXXXVII. De his quae acciderunt in regno Arabum diebus Abdalmalichi. — Pace composita inter regna, misit Abdalmalichus Ziadum, fratrem Moawyae, adversus Muchtarum impostorem; et cum commisisset cum eo praelium, occisus est Ziadus. Audita caede Ziadi, Abdalmalichus trangressus est Euphratem in Mesopotamiam; et cum pervenisset Rhesainam audivit Amrum, filium Saidi, filii Aṣī, Damasci rebellavisse; et reversus est Damascum. Et obsedit eam, et pugnam acrem

* p. 293. in eam instituit. Tunc fidem dedit Amro * se ei nihil nociturum, et aperuerunt ei civitatem; sed post tempus dolose necavit Amrum.

Cum videret Abdalmalichus in Oriente praevaluisse [Musabum] filium Zubairi, constituit sibi duos duces exercitus 5 Mohammedum fratrem suum, et Ḥagagum filium Iosephi, viros strenuos, sanguinarios, et misericordia destitutos. Mohammedo fratri suo potestatem dedit in regionem Mesopotamiae, Mosulem et universam Armeniam. Ḥagago potestatem dedit in totam regionem Persidis. 10

Mohammedus frater Abdalmalichi venit primum in civitatem Edessam, eamque sine pugna cepit. In ea sedem fixit et brevi tempore occupavit totam Mesopotamiam, praeter Nisibin quam tenebat Budair [1]. Ḥagagus filius Iosephi, ivit versus Iathrippa ut pugnaret adversus Abdallam filium Zubairi. Et misit 15 Abdalmalichus legatum ad fratrem suum Mohammedum, ut collegeret copias et iret Ḥagagum adiuvaturus. Cum profecti essent, invenerunt Abdallam filium Zubairi, et is devictus est eiusque exercitus destructus est. Occisus est Ibrahimus filius Alashtar, dux exercitus Abdallae filii Zubairi, et ipse Abd- 20 allas fugit cum paucis, et refugium petiit in Caaba, seu oratorio prophetae, in quo orant Meccae. Ḥagagus eum prosecutus et assecutus est in oratorio. Erexit in illud ballistas evertitque murum quod cingit aedificium. Et in illud ingressi apprehenderunt Abdallam filium Zubairi eumque occiderunt, et caput 25 eius Abdalmalicho filio Marwani miserunt. Et instaurarunt denuo aedificium. Potestatem autem Abdamalichus dedit Ḥagago in Cufam, Iathrippa, Meccam et totam Iracam.

CXXXXVIII. De malis quae fecerunt Ḥagagus et Mohammedus filius Marwani, in suis regionibus. — Cum potestatem 30 haberet Ḥagagus in regionibus Persidis, coepit vastare sine

* p. 294. misericordia, occidens * principes Arabum et spolians domus eorum. Ita etiam Mohammedus filius Marwani fecit in sua dicione et sine misericordia principes occidit. Causas praetextabat etiam in nobiles christianos et eos occidebat, domosque 35 eorum spoliabat. Occidit quoque Mardanšah filium Zarnūš,

[1] Mich. Syr. et Barhebr. melius, ut videtur: B o r a i d a.

et filium eius, qui erant gubernatores Nisibis, et Simeonem filium Nonni, *gubernatorem* Ḥalugae, quos ligno affixit. Nobiles qui erant in Armenia congregavit in aliqua ecclesia, et in hac ignem accensit eosque cremavit. Occidit autem Anastasium 5 filium Andreae, gubernatorem Edessae, et domum eius spoliavit. Verumtamen adhuc christiani erant scribae, principes et gubernatores locorum Arabibus submissorum.

CXXXXIX. De Athanasio Bar Gumayē[1] qui prosperavit et illustris factus est tempore Abdalmalichi. — Tempore regni 10 Abdalmalichi crevit Athanasius filius Gumaeorum, Edessa ex urbe oriundus. Cum autem audivisset Abdalmalichus eum esse virum sapientem, et peritum scriptionis arcessivit eum Damascum et ei commisit fratrem suum iuniorem Abdalazizum, quem constituit emirum Aegypti, et iussit ut sit Athanasius eius 15 scriba et praeceptor. Statuit ut totum negotium gubernationis ad Athanasium pertineat, solum vero nomen regale ad Abdalazizum. Et sic profectus est in Aegyptum, et in eam dominatus est; et ipse regebat et distribuebat tributum in Aegyptum. Et filii nobilis Athanasii etiam gubernabant ⌈regionem Gunadam[2]. 20 Petrum autem filium suum, omnibus fratribus seniorem, misit Edessam, ut intenderet et administraret ea quae Edessae possidebat. Fertur quod praeter divitias et honores quae abundantius ei dabantur a rege, sumebant sibi filii eius aliquid certum et fixum: * singulis annis denarium a viro quocumque qui accipie- * p. 295. 25 bat stipendia in exercitu, qui constabat triginta milibus hominum; et haec, spatio viginti et unius anni quo fuerunt in Aegypto. Is Athanasius erat sapiens, et zelo praeditus pro tota orthodoxia; etiam honorabat summos sacerdotes; erigebat et aedificabat ecclesias; copiosae erant eius eleemosynae in orpha- 30 nos et viduas. Collegerat aurum et argentum tanquam lapides, et habebat quattuor milia servorum pretio emptorum, et aulas, et pagos, et varia bona, et hortos regios. Possidebat Edessae trecentas tabernas et novem xenodochia. Aedificavit duo templa Fosṭaṭi, in urbe Aegypti, et instauravit Edessae templum glo-

[1] I. e. e familia Gumaeorum. — [2] Sic. Locus fortasse corruptus. Contextus suadet potius munus ad perceptionem tributorum spectans, aut ad militiam.

riosum Deigenitricis, et aedificium alterum nobile in baptisterium; et fecit huic aedificio canales copiosi aquarum, ad instar eorum quae fecerat episcopus Amazonius in ecclesia magna et antiqua Edessae; et decoravit domum tegumento marmoreo eamque ornavit auro et argento. Et cum mortuus esset Abdalazizus in Aegypto, discessit Athanasius cum sua familia, filiis, possessionibus, servis, ingentibusque opibus, et venit Damascum. Sed eum aemulatus est Sergius, filius Mansuri, Chalcedonensis, scriba regis Abdalmalichi Damasci; qui eum calumniatus est apud regem, dicens: Sibi rapuit Bar Gumayē omnes thesauros Aegypti, et secum adduxit. Quando autem ingressus est Athanasius coram rege Abdalmalicho, quiete eum excepit rex et pacifice ei dixit: Non aequum iudicamus ut tantae divitiae sint viro christiano; da nobis partem et sume alteram. Quod re vera factum est; sumpsit rex multum, et Athanasio remansit plus quam multum.

CL. De bello exorto inter Romanos et Arabes. — Revertamur igitur ad negotia imperiorum, et dicamus de * iis quae acciderunt diebus Abdalmalichi. Hoc tempore, iubente Abdalmalicho, cusa sunt z ū z ē et denarii aurei et argentei, quibus nullae erant impressae imagines, sed scripta arabica ab utroque latere; una facie scripserunt nomen prophetae eorum Mohammedi, et parte altera scripserunt nomen Abdalmalichi. Et id observant reges Arabum usque hodie, ut singuli suo tempore nomen proprium scribant in numismatibus.

* p. 296.

Edixit quoque Abdalmalichus ut porci necarentur, in urbibus Syriae et in tota Mesopotamia.

Et anno 1002° Graecorum, quievit Abdalmalichus a bellis. Anno autem sequenti, significavit Iustinianus, imperator Romanorum, incolis Cypri insulae: Nolite dare tributum Arabibus, secundum pactum. Et cum naves conscendissent ut iter per mare facerent, pleraeque naves submersae sunt, et omnes in mari suffocati sunt; qui evaserunt Cyzici eos habitare fecit imperator. Cum autem Abdalmalichus audivisset ab imperatore pacem ruptam esse ante expletum terminum, iussit Mohammedum, fratrem suum, praefectum Mesopotamiae invadere Beth Romayē. Et ingressus, populatus est regionem et rediit cum captivitate et praeda immensa.

Hoc tempore, quidam e patriciis Armeniae, cui nomen Sembaṭus[1], Armeniam[2] in manus Mohammedi filii Marwani tradidit.

Hoc tempore, vir harurita, id est raphidhaeus[3], ismaelita cui nomen Šabibus[4], ingressus est in dicionem Ḥagagi; multa mala faciebat, plures occidebat, et ipsum Ḥagagum necare tentavit; sed astucia ab eo aufugit. Huic haruritae resistere nemo poterat: tandem ei insidias struxit Ḥagagus et in Euphrate eum suffocavit.

CLI. * De rebellione adversus Iustinanum, et de imperio Leontii patricii. — Iustinianus quidem multis malis, sine misericordia affligebat principes Romanorum; et eum sustinuerunt decem annos, nec quievit ab ira sua. Tandem convenerunt in eum, eum apprehenderunt et amputarunt ei nasum, et eiecerunt eum in exsilium ultra Pontum; et in se regnare fecerunt Leontium patricium, qui erat in Armenia, virum senem et segniorem in administratione imperii, anno 1007° Graecorum, 12° Abdalmalichi. * p. 297.

Et post tres annos Constantinopolim venit e Cilicia vir nomine Apsimarus, cum exercitu magno, et deiecit Leontium ex imperio; non ei nocuit, sed ei benigne concessit ut privatam vitam ageret[5]. Et regnavit Apsimarus super Romanos.

Et anno 1013°, ingressus est Abdallas filius Abdalmalichi in Beth Romayē; vastavit, captivos fecit et reversus est in Ciliciam. Aedificavit Mopsuestiam; posuit in ea exercitum ad eam custodiendam sufficientem, et reversus est. Anno sequenti rebellarunt optimates Armeniae adversus Arabes; et adscendit rursum Mohammedus filius Marwani, et destruxit Romanos qui in Armeniam venerant multosque ex Armenis occidit, et restituta est Armenia Arabibus.

CLII. Quomodo denuo reversus sit Iustinianus in imperium. — Hoc anno, aufugit Iustinianus e loco ubi in exsilium eiectus

[1] Theoph. (ann. 685): Συμβάτιος, Armenice: S e m p a d. — [2] In marg., alia manu: Armenia hic vocatur regio Chalatae et Maiphercat, et mons S a n s ū n, et Arzunitis, et urbes totius huius regionis. — [3] Vox arabica, quae « fanaticus » sonat, e nomine sectae deducta. Theoph.: Ἀρουρῖται ὃ ἑρμηνεύεται Ζηλωταί (ad ann. 758). — [4] Theoph.: Σαβῖνος (ann. 685). — [5] Revera, eum naribus mutilatum in monasterio inclusit (Theoph., ad ann. 690).

erat, et ivit apud Chaganum regem Chazarorum; et ab eo petiit ut ipsi desponderet filiam suam. Et postquam accepit eam, auxilium sumpsit etiam a Bulgaris. Et, collectis copiis, profectus est Constantinopolim. Cum autem audivisset Apsimarus adventum eius, timuit, fugam cepit et ab urbe discessit. 5 Venit ergo Iustinianus et urbem sine pugna ingressus est. * p. 298. Et reversus est ad imperium decimo anno postquam * eo privatus est. Tum iussit Apsimarum coram se in compedibus adduci, et praecepit ut occideretur. Occidit quoque Leontium hunc qui regnaverat tres annos. Vindictam sumpsit etiam ab 10 inimicis suis, atque multos ex Romanis sine misericordia perire fecit. Occidit et crucifixit adeo ut dicionem Romanorum a viris egregiis destitutam effecerit. Invenit, cum reversus est, sex milia Saracenorum vinctorum; omnes liberavit et dimisit in regiones eorum ad petitionem ⌈Alusṭriae [1] filii Araci [1], ex 15 urbe Ḥarran, quem cum vinctus esset in Beth Romayē, solvit et cum muneribus domum remisit.

CLIII. De morte Abdalmalichi et de regno filii eius. — Anno 1017° Graecorum, 2° Iustiniani post reditum, 87° Arabum, mortuus est Abdalmalichus, mense šebāṭ. Regnavit autem 20 annos xxii, et tenuit post eum habenas imperii Walidus filius eius. Is, statim ac regnavit, coepit destructionem ecclesiarum Damasci; et evertit templum magnum et gloriosum Mar Iohannis, et loco eius aedificavit mesgidam ad orationem eorum; eam pulcris structuris ornavit et musivo aureo 25 decoravit.

Et anno 1019°, profectus est Maslamas [2] filius Abdalmalichi, frater Walidi, in regionem Romanorum, et obsedit Tyanam civitatem; protraxit adversus eam pugnam per novem menses. Et missus est huic civitati Theophylactus, dux militum, cum 30 ingenti exercitu, qui praelium commisit cum Arabibus. Confracti sunt Romani, et ex eis quadraginta milia occisi sunt. Tunc vi expugnarunt urbem Arabes, eam captivam eduxerunt, et in Syriam reversi sunt.

[1] Nomina dubia, quae alibi non inveni. — [2] M ō s l m, quae lectio propius ad arabicam formam accedit quam graeca translatio Μασαλμᾶς (Theoph.).

Hoc anno edixit Walidus, rex Arabum, ne amplius im archivio suo seu demosio, quod ipsi Arabes d ī w ā n appellant, scriberent graece, sed scriptura arabica uterentur; nam regesta [1] regum Arabum usque ad * eius tempus graece scribebantur. * p. 299.

5 Erat autem Walidus vir astutus, et multiplicavit exactiones et afflictiones plus quam omnes decessores eius.

Et anno 89° Arabum, Mohammedum, patruum suum, a praefectura Mesopotamiae destituit, et loco eius instituit Maslamam fratrem suum. Et cum venisset Maslamas in Mesopotamiam 10 et auctoritatem accepisset in universam Gaziram [2] misit qui mensuraret agros, numeraret vineas et arbores, greges et homines. Et numismata plumbea collo cuiusque appendit. Et rursum ingressus est Maslamas Beth Romayē, et expugnavit Amasiam, eam populatus est et rediit secum ducens praedam et captivos 15 innumeros.

CLIIII. De morte Iustiniani et de imperio usurpato Philippici. — Anno 1021°, rebellavit Philippicus patricius, cum aliquot viris Romanis, in imperatorem et hunc, et Tiberium filium eius occiderunt: infixerunt caput eius lanceae illudque per cir- 20 cuitum in urbe detulerunt. Regnaverat annos XVI, decem priore vice et sex posteriore.

Is Philippicus erat valde peritus et scientia instructus; politus erat sermo eius; vir erat in omni disciplina profana eruditus. Iussit e dicione sua expelli omnes Armenos; cum 25 autem discessissent refugium petierunt apud Arabes, qui eos Melitenae et finibus eius habitare fecerunt. Et post annum, ab imperio deiecerunt Romani Philippicum et eum excaecaverunt.

CLV. Imperium Anastasii, et quae diebus eius acciderunt. — 30 Postquam eiectus est Philippicus, in se regnare fecerunt Romani Anastasium.

Anno autem primo regni Anastasii fuit terrae motus vehemens, mense šebāṭ: et multa loca eversa sunt * in regionibus Antiochiae, Halebi, Kenneshrin; ecclesiae et templa praesertim 35 perierunt. * p. 300.

Et anno 1026° Graecorum, primo Anastasii, 96° Arabum,

[1] διφθέραι. — [2] Nomen arabicum Mesopotamiae.

mortuus est Walidus, rex Arabum, mense šebāṭ. Et post eum regnavit in Arabes, Damasci, Soleimanus frater eius.

CLVI. Imperium Theodosii; et quomodo expulerint Anastasium. — Anno itaque 2° Anastasii, misit is copias suas in regionem occidentalem ad debellandos inimicos. Sed rebellarunt exercitus in duces suos, et adduxerunt virum nomine Theodosium, quem sibi imperatorem constituerunt; ducem autem exercitus occiderunt. Et postquam rebellarunt exercitus imperatoris et sibi imperatorem constituerunt Theodosium, fama pervenit ad Anastasium, qui timuit et Nicaeam Bithyniae aufugit. Theodosius vero post eum misit exercitum, qui eum caperet, et ipse Constantinopolim tendit. Cum laetitia exceperunt eum et imperatorem eum proclamarunt. Qui autem Nicaeam misi sunt Anastasium apprehenderunt, caput eius raserunt et eum Theodosio miserunt: imperator vero eum in exsilium pepulit. Regnaverat annum et menses tres.

CLVII. Praeparatio Arabum et obsidio Constantinopolis. — Leo, qui dux exercitus erat Anatolicorum, non acceptavit Theodosium, sed pro Anastasio decertabat. Et post annum Soleimanus, rex Arabum, concilium coepit mittendi Maslamam in Beth Romayē, ut Constantinopolim obsideret. Et collegit exercitum ducentorum milium hominum et fabricavit quinque milia navium, quas exercitu et cibis replevit, eisque ducem praeposuit Omarum filium Hubairae, sub auctoritate Maslamae. Congregavit etiam XII milia operariorum[1], sex milia camelorum et sex milia * mulorum ad deferendos cibos iumentorum et operariorum. Oneravit camelos multis armis et ballistis; et paravit exercitibus viaticum ad plures annos sufficiens; nam dixerat Soleimanus: Non desistam ab impugnanda Contantinopoli prius quam aut eam expugnaverim, aut totam terram Arabum exhauserim. Ingressi sunt cum eo egenorum et otiosorum, ex pauperibus Arabum, quos appellant voluntarios, circiter tria milia. Ingressi sunt quoque cum eis multi Arabes divites qui mutuum dabant et opes exercitibus venum dabant, ea spe ut retributionem acciperent e depraedatione urbis regiae. Et praecepit Maslamas Soleimano filio Mawidae

* p. 301.

[1] In margine: « i. e. clypeariorum »; prava interpretatio.

et Bochtario [1] ut arida procederent, Omaro autem filio Hubairae, mari. Progressi sunt Bochtarius et Soleimanus et venerunt usque Amorium civitatem. Et ibi eis occurrit Leo, dux exercitus, quem memoravimus non adhaesisse Theodosio. Ille fecit pactum cum Arabibus, et eos spe suspensos tenuit quasi futurus sit eis adiutor in capienda Constantinopoli. Et haec scripserunt et nota fecerunt Maslamae, qui eos sequebatur et iter faciebat. Is autem multum gavisus est de promissis Leonis, et repromisit ipse Leoni se non permissurum exercitui Arabum ut vastaret dicionem Leonis. Et cum *ibi* pervenissent exercitus Arabum, vetuit Maslamas ne quis damnum afferat loco, vel in frusto panis. Et ipso Leone iubente, constitutum est forum in castris Arabum. Et vendebant emebantque Romani confidenter, absque timore. Leonis autem omnis sollicitudo erat ut sibi conciliaret imperium Romanorum. Et postquam transierunt Arabes ultra dicionem Leonis, coeperunt * in terra Romanorum omnia mala et quaecumque damna facere, incendio ecclesiarum et domorum, depraedationibus, effusione sanguinis virorum, captivitate puerorum. Et expugnarunt hac aestate in regione Asiae multas civitates, quas vastaverunt, populati sunt, spoliaverunt; nam viros occidebant, et pueros autem mulieresque in regionem suam captivos mittebant. Et hiemaverunt Arabes in regione Asiae. Et mandavit Maslamas, Soleimano filio Mawidae, qui et duodecim milia militum secum habebat, ut Chalcedonem civitatem obsideret, et impedirent quin victus introduceretur Constantinopolim, et grassantes vastarent regionem Romanorum. Imperator autem Theodosius certior factus de foedere quod pactus est Leo cum Maslama direxit familiam suam Amorium ut ibi maneret, et mandavit principi civitatis ut sedulo eam custodiret. Cum autem Leo audivisset familiam Theodosii Amorium profectam esse, pergit cum exercitu suo et venit Chalcedonem apud Soleimanum filium Mawidae, dum Maslamas et exercitus Arabum in Asia agebant. Et petiit a Soleimano exercitum, ut veniens terreat cives Amorienses, qui tradant ei familiam Theodosii. Dedit ei sex milia equitum, qui eum comitarentur. Et venit Leo obsidere Amorium. Cum castra

* p. 302.

[1] Theoph., ad ann. 708: Βάκχαρος.

posuisset ad eam, cives Leonem timuerunt. Sed accessit Leo ad murum et locutus est cum principibus et optimatibus urbis. Cum autem cognovissent consilium Leonis alienum ab omni proditione Romanorum, et eum simulatione conversari cum Maslama, ad id nempe ut salvaret regionem suam a destructione; et rursum cum viderent Theodosium administrationi imperii imparem, neminemque inter Romanos imperio aptiorem quam Leonem, qui possit opere suo salvare urbem regiam, se cum eo obstinxerunt iuramentis, et eiecerunt eique tradiderunt familiam Theodosii. Tunc dimisit Leo * exercitum Arabum qui cum eo erat, postquam dedit singulis militibus duodecim denarios.

* p. 303.

CLVIII. Imperium Leonis et expulsio Theodosii ab imperio. — Postquam dimisit Leo exercitum Arabum, profectus est cum suo exercitu versus Constantinopolim. Et venit castrametari in quadam urbe deserta ad littus maris; et dum ibi manent, accessit exercitus ab imperatore Theodosio missus ut decertaret adversus Leonem et, postquam devictus erit Leo, imperatorem facerent filium imperatoris Theodosii, qui cum eis, tanquam dux exercitus, missus fuerat. Et secum habebant coronam et purpuram imperialem ut post quam devicerint Leonem, eis induerent filium Theodosii et imperatorem eum crearent. Cum autem pervenissent ad castrum Leonis, et simul convenissent milites qui cum Leone erant et hi qui ab imperatore missi fuerant, omnes simul concordes fuerunt et regnare fecerunt Leonem: coronam quam adduxerant capiti eius imposuerunt, purpura eum induerunt, et ei filium Theodosii tradiderunt. Et omnes petierunt urbem regiam. Cives vero eum cum magna laetitia exceperunt, et ab imperio remotus est Theodosius, postquam regnavit annum et menses quattuor. Leo imperio potitus est anno 1028°.

Maslamas autem, cum audiret Leonem regnum accepisse, valde gavisus est, putans eum iam invenisse opportunitatem adimplendi promissum suum et tradendi urbem. Verum, Leo ex quo regnavit non cessabat Maslamae scribere ut hunc vana spe suspensum teneret, dum ipse sollicite munit civitatem, ei comparat victum multum, et navigia ad pugnam cum inimicis

instruit. Mercede etiam conduxit Bulgaros in auxilium urbis, et de munitione civitatis summopere curavit.

CLVIIII. * Adventus Maslamae et obsidio eius in Constantinopolim. — Transacta hieme, cum intellegeret Maslamas se a Leone deceptum fuisse, paravit exercitum et naves, et mense ḥazīrān huius anni in alteram ripam transfretatus est. Et etiam Leo, cum percepisset quid facturus erat Maslamas, misit incendere totam regionem occidentalem urbis. Postquam transivit exercitus Maslamae ad sex circiter milia infra civitatem, ipse Maslamas quattuor milibus equitum stipatus, omnium ultimus veniebat; cum remotus esset a castris exercitus qui praecessit eum circiter decem milia passuum, in eum venerunt Bulgari auxiliares Romanorum, et nocte, cum nihil suspicaretur, ceciderunt in eum, et maiorem partem exercitus qui cum eo erat necaverunt; et vix ipse aufugere potuit in magnum castr m. Totus exercitus ivit castrametari in parte occidentali, prope urbem, contra portam quae vocatur Aurea. Et fecerunt fossam ante castrum, inter ipsum et urbem, et pone illud, inter ipsum et Bulgaros; a dextra vero et a sinistra erat mare. Navigia autem, cum triginta milibus militum Arabum et nautis Aegyptiacis, disposuit in mare, ut custodirent naves eius a navibus Romanorum. Viginti milia alia destinavit cum Sherḥaīle filio Obaidae, ut vigilias custodirent inter ipsum et Bulgaros, et ad mare contra naves Romanorum, et in altera parte maris contra exploratores Romanorum, qui eos molestabant et victum ad Arabes pervenire non sinebant.

* p. 304.

Aliqua die, Bulgari se congregaverunt adversus Sherḥaīlem et exercitum eius; commiserunt cum his praelium, et multos ex eis occiderunt. Et coeperunt Saraceni Bulgaros timere magis quam Romanos. Prohibitus est cibi ingressus apud eos et iumenta * eorum fere omnia perierunt ob pabuli penuriam. Et cessavit relatio eorum in tota Syria; nam mari circumdati erant et excubiae Romanorum, id est exploratores, neminem castrum ingredi aut ab eo egredi sinebant. Et cum in tam dura oppressione essent Arabes exterius, et etiam Romani interius, eos attigit hiems aspera. Et defecit spes omnium. Arabes quidem, praeter quam reverti timebant absque licentia regis sui, retinebat quoque inclementia maris ne e loco se

* p. 305.

moverent. Timebant etiam Bulgaros, qui ad occidentem ipsorum erant. Et, cum adeo undique premerentur, depinxerunt mortem coram oculis suis, et quaecunque prodiderunt. Maslamas vero decipiebat exercitus Arabum, annuntiando : ecce hodie, ecce crastina, Romani tradituri sunt urbem. Annuntiabat quoque eis et adfirmabat dona et victualia advenire a Soleimano rege Arabum missa. Et cum eum experti essent multis vicibus, et novissent se ab eo deceptos fuisse, nec cum verum dicebat ei fidem dabant.

CLX. Quomodo exitum et solutionem utrique parti fecerit Deus. — Cum igitur, ut diximus, in magna et immensa oppressione versarentur ambae partes et maxime Arabes ob necessitatem famis crudelis, subito orta est eis salus. Et cum Romani putarent se obsessos esse, Arabes magis quam illi in oppressione erant. Saeviit in eos fames adeo ut bestias mortuas comederent, et cadavera et fimum. Et pervenit modius frumenti, in castris Arabum ad decem * denarios, et caput bestiae mortuae ad duos vel tres denarios. Multi ibant ad naves, eruebant bitumen earum et comedebant, quotidie.

* p. 306.

CLXI. Mors Soleimani et imperium Omari filii patrui eius. — Cum in tantis angustiis positi essent, mortuus est rex Soleimanus filius Abdalmalichi. Et Iobus, filius eius, quem promiserant Arabes post patrem suum regnaturum, ipse mortuus est mense tešrīn priore, initio huius hiemis. Et regnavit post eum Omarus filius Abdalazizi filii Marwani. Ferebatur esse timens Deum, amicus veritatis, et aversus a malo. Statim ac regnavit omnem curam adhibuit ut liberaret populum Arabum e Beth Romayē. Quia nullum nuntium de illis perveniebat commisit virum fidum, cui dedit exercitum sufficientem, ut iret in Beth Romayē, et ei mandavit ne rediret priusquam accuratam relationem de Maslama et de eius exercitu ipsi afferre possit. Is quidem pervenit ad castrum Arabum et verum statum exercitus novit. Maslamas autem dedit epistulas mendaces ad Omarum dicens optime se habere exercitum, et prope esse ut civitas expugnaretur. Et cum rediisset legatus apud Omarum ei narravit rem omnino contrariam eis quae nuntiabant epistulae Maslamae. Tunc rex effudit lacrimas et magno dolore captus est ob ruinam exercituum Arabum. Exspectavit

donec transeat hiems. *Tum* misit legatum alium, et scripsit Maslamae epistulam severam: Ne sit causa ruinae exercituum Arabum, sed colligat exercitus, et recedat. Et scripsit militibus: si non consenserit Maslamas ut recedat, dimittant illum et
5 veniant. Cum autem advenisset legatus a rege Omaro missus, et epistulam dedisset Maslamae, is conabatur mandatum militibus celare; sed cum exercitus * didicissent mandatum regis, * p. 307.
aperte proclamare fecerunt in castris: Praescriptum est a rege Omaro ut exeatis et revertamini in regiones vestras. Et
10 cum huiusmodi nuntium acciperent, magno gaudio repleti sunt, praesertim eo quod audiverunt Omarum filium Abdalazizi in ipsos regnare. Tunc profectus est Maslamas et discessit invitus, ab utraque parte maledictus. Postquam conscenderunt in naves, et mari se commiserunt, eos praelio aggressi sunt
15 Romani et igni destruxerunt multas ex navibus eorum. Dein, cum per mare graderentur, surrexit procella et naves multae submersae sunt, et aliae confractae et in terram Barbarorum reiectae. Talis exitus malus fuit exercitibus Arabum, postquam duos annos egerunt in Beth Romayē.
20 Omar autem rex misit ut confortaret eos qui arida regrediebantur; plus quam viginti milia mulorum cum equis misit eis; nam omnes Arabes pedibus exierunt, cum omne iumentum fame periisset. Misit quoque aurum multum, ut singulis viris decem denarii darentur. Et scripsit in tota dicione sua ut
25 quicumque fratrem aut cognatum haberet in exercitu Maslamae obviam ei occurrat et vaticum ei deferat. Et multi obviam eis egressi sunt eosque salvarunt prout potuerunt.

CLXII. De Omaro rege et de eis quae tempore eius acciderunt. — Hic Omarus filius Abdalazizi regnare coepit anno 99°
30 Arabum. Erat autem vir bonus et misericors, veri amicus et iustus, a malo aversus. Verum tamen valde hostilis fuit Christianis, plus quam reges eius decessores. Vetuit ne elevarent vocem in ecclesiis suis tempore orationum eorum; cessare fecit semantra[1], et prohibuit ne equum conscenderet christianus cum
35 ephippio; * statuit ut si virum chistianorum occiderit Arabs, * p. 308.
is non occidatur pro illo, sed mulctam det quinque milia dena-

[1] Ligna quibus campanae loco utuntur Orientales.

riorum. Et postquam regnavit annos duos et menses quinque mortuus est.

CLXIII. Regnum Iezidi filii Abdalmalichi. — Et anno 101° Arabum, regnare coepit Iezidus filius Abdalmalichi, qui erat filius patrui Omaris, filii Abdalazizi. Simul atque regnavit, in eum rebellavit quidam orientalis nomine Iezidus filius Mohallebi; et huic favebant multi Arabes et Orientales. Et adversus eum rex Iezidus Maslamam, fratrem suum, cum exercitu amplo misit. Is quidem venit in Orientem. Et invenerunt rebellem qui occisus est; et maior pars exercitus qui cum eo erat caesa est. Subiecit Maslamas totum Oientem, et cum victoria reversus est.

Et anno sequenti praecepit Maslamas, iussu regis fratris sui, ut delerentur omnes imagines, sive in templis, sive in parietibus, sive in domibus, et etiam in libris. Et ubicumque inventa est statua aut imago sive lapidea, sive lignea, sive eburnea, eam confregerunt.

Hoc tempore, syrus Edessa oriundus nomine Severus, vir astutus et improbus, qui habitabat in vico Gasicha appellato, in dicione Mardinensi, spe colligendi pecuniam adiit Iudaeos et eos decepit. Nam aliis dicebat: Ego sum Messias; aliis vero: Ego sum legatus Messiae. Et collegit aurum plurimum. Deinde re ad Maslamam divulgata is apprehendit eum et quiquid collegerat abstulit; postquam vero confessus est dolum dimisit eum.

Hoc tempore, etiam Leo imperator Romanorum, excitavit persecutionem in Iudaeos, et eos fieri christianos coegit.

Hoc anno 1034°, venit locusta numerosa in Syria.

Et eodem anno missus est Abbas filius Walidi in Beth Romayē; multos captivos coepit et reversus est; dum vero revertitur populatus est * Ciliciam, et expugnavit arcem munitam Shaizam. Eodem anno, emirus Garachus[1] cum exercitibus Arabum invasit regionem Turcarum, et expugnavit quinque civitates; immensam praedam ceperunt et regressi sunt.

* p. 309.

Principatum obtinuit in Mesopotamiam emirus nomine Dahachus, et descripsit homines magnos et parvos, etiam infantes;

[1] Theoph.: Γάραχος.

mensuravit agros, numeravit arbores, et inquisitionem fecerunt qualis nunquam fuit. Et ubicumque inveniebant aliquem mendacio usum barbam eius radebant: et barbam multorum hominum rasit.

5 Anno sequenti mortuus est rex Iezidus, postquam regnavit annos quattuor. Et post eum regnavit Hishamus, frater eius.

CLXIIII. De regno Hishami filii Abdalmalichi. — Cum regnaret Hishamus, filius Abdalmalichi, homines pondere tributi opprimebat plus quam omnes reges eius decessores. Et 10 iussit sibi aedificari in omnibus locis aulas, cauponas, hospitia, hortos. Et iussit adducere aquas et canales in deserto, cum labore et defatigatione; et ad eos plantavit plantationes multas. Et eduxit aquas ab Euphrate supra Callinicum, et ad eas plantavit arbores et hortos, et expendit multas expensas ad 15 horum conditionem; et multiplicavit redditus suos fere tantum quantum erat totum tributum ei solutum ab universa dicione sua.

Et anno 1037°, ingressus est Maslamas dicionem Romanorum et obsedit Neocaesaream Ponti; et cum bello expugnavisset eam 20 et vastavisset, eduxit in captivitatem viros nobiles qui in ea inventi sunt. Viri enim erant armati tantum, et non plebs.

Et anno sequenti, profectus est Moawya, filius Hishami regis, in Beth Romayē; multos captivos fecit et reversus est cum victoria magna.

25 Et anno sequenti, venit filius Chagani regis Chazarorum et invasit regionem * Adharbiganam et regionem Aran. Ei occurrit Garachus, amirus regionis Armeniae, cum exercitu Arabum numeroso. Conseruit cum eis praelium arduum. Et occisus est Garachus; et diripuerunt castra eius Chazari, et 30 cum victoria reversi sunt in suam regionem.

* p. 310.

Et anno sequenti, ingressus est Maslamas terram Chazarorum cum ingenti exercitu Arabum. Congregati sunt adversus eum Chazari et populus numerosus Turcarum eis circumvicinorum. Et conseruit cum eis pugnam. Et multi occisi ceciderunt 35 ex utraque parte. Timuit autem Maslamas et artificio usus e regione eorum recessit.

Et anno 1040°, rursum Beth Romayē invasit Moawya filius Hishami, et evertit Gangra, et obsedit Nicaeam civitatem, et

postquam impugnaverat eam quadraginta diebus, ibi advenit exercitus Romanorum qui navibus in urbem ingressi sunt. Et ab ea discessit.

Et anno sequenti misit imperator Leo legatum ad Chaganum regem Chazarorum, et huius filiam filio suo Constantino desponsavit. Et adduxerunt sponsam, et eam baptizaverunt, et dein in palatium introduxerunt.

Hoc anno, Hishamus rex Marwanum filium Mohammedi, filii patrui sui, praefecit Armeniae et omnibus locis circumvicinis. Is Marwanus erat qui sibi sedem constituit Maiphercat, et hanc urbem regiam appellavit; et usque hodie ibi famosi sunt viri familiae Marwani, nepotes eius.

Et anno sequenti ingressus est Moawya Beth Romayē: vastavit, populatus est et recessit.

Et anno sequenti, rursum ingressus est Moawya Beth Romayē, et populatus est regionem Asiae (minoris), et recessit.

Et anno sequenti, Soleimanus filius Hishami, frater Moawyae, quem commemoravimus, invasit Beth Romayē, et recessit cum nihil fecisset.

Et rursum anno sequenti, ingressus est Moawya, et captivos cepit, et cum reverteretur ex equo cecidit et mortuus est.

* p. 311. CLXV. * De falso Tiberio. — Anno 1048°, ad Soleimanum, filium Hishami regis, venit quidam genere romanus, vestitu autem hagarenus seu arabs, qui olim captus fuerat Pergamo Asiae. Appellabatur Besher [1], et dicebat se esse Tiberium filium Iustiniani imperatoris, quem supra commemoravimus, diebus Abdalmalichi filii Marwani; qui Tiberius putabatur iam antea mortuus. Is Besher adiit quemdam romanum caecum nomine Theophantum, qui Harran habitabat; et hunc consortem fecit fraudis quam moliebatur. Eum monuit ut iret apud Soleimanum et ipsum denuntiaret: Ecce Tiberius filius Iustiniani est hic, latet, nec se manifestat. Soleimanus, his auditis, fidem dedit verbis eius, et existimavit se quid magni prae manibus habiturum si Tiberium ceperit. Caecus vero etiam iuramenta petebat a Soleimano, quod ipsi pulcram remunerationem retribueret pro negotio. Tum tradidit falsum Tiberium in manus

[1] Βησήρ (Theoph., ad ann. 733).

Soleimani, quasi Tiberius rem ignoraret. Cum autem adductus est coram Soleimano, primum coepit negare: Non sum Tiberius; astute agens ut rem magis credibilem faciat. Denique postquam multa promisit ei Soleimanus, vix dixit: Ego sum. Tum Solei-
5 manus scripsit et rem notam fecit patri suo Hishamo regi Arabum. Hishamus vero, cum vellet filium suum coram Arabibus extollere, qui modo ceperat filium imperatoris Romanorum, ei scripsit ut vestibus regiis indueret illum *impostorem* et mitteret eum, illum transire faciens cum honore in omnibus civitatibus.
10 Et cum hunc honorem assecutus esset, venit primum Edessam. Et obviam ei exierunt Edesseni, et eum cum magno apparatu et honore introduxerunt. Ausus est impostor * ingredi sanctuarium et oblationem sumere ab altari, secundum morem imperatorum romanorum, ob amentiam Edessenorum qui omni vento
15 fluctuantur et credunt. Et ita fecit in omnibus civitatibus, donec pervenit apud Hishamum regem. Et eum honorifice excepit rex. Et postquam mansit apud eum aliquod tempus, remissus est Edessam. Et misit legatos ad urbem imperialem et perturbavit Romanos, adeo ut ipse imperator Leo timorem ab
20 eo conceperit. Denique detectus est et, iubente Soleimano, Edessae ligno affixus est.

* p. 312.

Et anno sequenti invasit Soleimanus Beth Romayē, et rex Hishamus, pater eius, venit usque Melitenam cum Maslama emiro, et redierunt abducentes ingentissimam captivitatem.

25 CLXVI. De rebellione Iezidi in *urbe* Cūfa, et de ceteris negotiis quae acta sunt diebus regis Hishami. — Anno 1050° Graecorum, prodiit vir nomine Iezidus, filius Hosaini, oriundus Acula, quae est Cufa, secundum pactum quod cum eo constituerant Cufenses. Et rebellavit adversus regem et se
30 manifestavit. Et cum Cufam misisset Hishamus exercitus, nullus eorum qui pactum cum eo fecerant adiuvit eum aut ei adhaesit. Apprehenderunt eum, et occisus est. Erat autem e stirpe prophetae eorum Mohammedi.

Anno sequenti venit pluvia ingens, mense ādār, die vicesima
35 quarta, a mane ad vesperam, ita ut putarent cataractas caeli apertas esse; et fecit damna gravia in civitatibus et pagis. Et collectae sunt aquae extra murum Edessae, qui ruptus est; et ingressae sunt aquae magno cum impetu et repleta est

civitas. Vastaverunt domos et aulas, et destructa sunt vici et molendina quae erant ad flumen. Et impleta est ecclesia antiqua cum atriis suis, et nisi festinaverint aperire portas orientales, * quibus exirent aquae, fere tota civitas aquis submersa fuisset.

Hoc anno accepit Hishamus nuntium falsum, nempe ab imperatore Leone occisos fuisse omnes vinctos arabes qui erant in Beth Romayē. Et sine diligenti examine, ira accensus, mandavit filio suo Soleimano ut necaret omnes vinctos romanos qui erant in eius potestate. Occisus autem fuerat Eustathius filius Marini, qui Ḥarran inclusus erat. Dubium pluribus ortum est num tanquam veri martyres habendi sint qui occisi sunt. Res autem non nota est nisi soli Deo.

Hoc anno institutus est Iohannes patriarcha, qui erat episcopus Charrarum; cuius electioni adfuit Athanasius Sandalensis, metropolita Maiphercat, de quo fusius locuti sumus in libro rerum ecclesiasticarum.

CLXVII. Imperium Constantini; de morte patris eius Leonis; et de rebellione in eum. — Et anno 1052° Graecorum, Arabum 123°, mortuus est Leo imperator Romanorum, postquam regnavit annos XXIV. Et regnavit post eum Constantinus filius eius.

Et anno sequenti, rebellavit Artabas, gener imperatoris[1], et ingressus est Constantinopolim; sedit in palatio et seipsum imperatorem renunciavit, quia imperator extra urbem erat. Quando autem audivit imperator levirum suum[2] regno potitum esse, ivit et confugit ad thema Anatolicorum, qui ei pacto adfirmarunt se illum adiuvaturos. Eos adduxit et venit versus Constantinopolim, et in regione vicina mansit per totam aestatem; *dein* venit versus Amorium Asiae et in ea hiemavit. Et sub finem anni, collegit Artabas copias multas et, Constantinopoli egressus, prodiit adversus imperatorem. Ei occurrit imperator, et commiserunt * praelium. Et tergum vertit Artabas et solus aufugit; socii eius conversi sunt et se imperatori submiserunt.

CLXVIII. De morte Hishami et de regno Walidi filii Iezidi; et de his quae in mundo acciderunt eius tempore. — Anno 1054°

[1] I. e. imperatoris defuncti Leonis. — [2] Interpretandum ex nota praecedenti.

Graecorum mortuus est Hishamus rex Arabum, et regno Arabum potitus est post eum Walidus filius Iezidi. Is, regnum adeptus, ante omnia afflixit familiam Hishami, et secretarios eius et etiam eius oeconomos poenis, tormentis crudelibus et 5 spoliatione domorum eorum. Praeposuit universae gubernationi regni sui Abbam filium Walidi. Is Abbas est a quo nomen ducunt qui Bagdadi vel hodie exstant et appellantur chalifae Abbasidae. Ab eo hoc nomen habent, non autem, ut opinantur indocti Arabes qui dicunt ab Abbaso patruo Mohammedi pro- 10 phetae eorum, eos id nomen obtinuisse. Is autem Abbas cum praepositus esset thesauro regni et incidisset in mare aureum familiae Hishami, cupivit etiam a Walido rapere regnum et dolose omnes principes Arabum sibi addixit. Omnia crimina odiosa imputabat Walido: ipse autem rex in illo, tanquam in 15 seipso, confidebat.

Hoc anno fluvii magni gelati sunt, hiemis rigore. Et defecit pluvia. Et fuit fames et lues ingens.

Hoc anno, die decima septima mensis hazīrān, apparuit in cāelo signum in speciem trium columnarum; et simile erat 20 flammae ignis.

Hoc anno accusatus est episcopus [1] chalcedonensium qui erat Damasci, apud regem Walidum, quod deriserit prophetam Arabum; et amputata est ei lingua, et expulsus est in regionem Iemen.

25 Hoc anno, pulvis aerem replevit per diem, et obscurabat radios solis.

CLXVIIII. De caede Walidi, et de regno Iezidi * fratris *p. 315 Abbasi. — Eo anno 1055° Graecorum, cum esset [Walidus] in deserto [2], in al-Bachara [3], quia diligebat iocum, voluptatem, vena- 30 tionem, et vini compotationem, Abbas cui commissum erat negotium regni, cum esset filius ancillae et sciret Arabes non ferre ut e concubina natus in ipsos regnet, fratrem suum Iezidum, liberae filium, Damascum misit, quia in hac urbe collecti erant thesauri regni. Postquam civitatem ingressus est Iezidus portas 35 clausit, et custodes constituit ne quis regem monere eat; etiam praefectum urbis apprehendit et occidit. Et aperuit thesauros,

[1] Petrus nomine (Theoph., ad ann. 734). — [2] I. e. ruri. — [3] « Baharae in Telrahita prope Damascum » (El Macin, trad. Erpenii, p. 101).

et principibus militibusque qui cum eo erant dedit singulis viris quinquaginta denarios praeter stipendia. Praefecit Abdalazizum exercitui duorum circiter milium virorum et eum misit bellum gerere adversus regem Walidum. Et praemonuit Abbas fratrem suum de die in quo conventuri essent in locum ubi rex habitaret tali die. Et cum Walidus dolum minime suspicaretur, nec in mentem ei venisset ab Abbaso fratre suo sibi malum rependendum fore, subito irruerunt in eum milites. Accidit autem ut cum eo sit quidam vir appellatus Albarashus filius Walidi. Is non cessabat retardare et arcere regem, ne obviam exiret eis qui in ipsum veniebant; nam socius erat et particeps consilii proditorum. Et ita retardavit regem donec subito irruerunt in eum et eum occiderunt. Et absciderunt caput eius, illudque lanceae imposuerunt et Damascum attulerunt. Appenderunt iuxta illud utrem vini, per modum derisionis, ut significarent: Ecce potator vini. Filios autem regis Walidi ambos: Hakimum et Othmanum, in vinculis coniecerunt; his consensum dederant Arabes ut regnarent post patrem eorum. Incluserunt etiam matruum eorum, * nepotem Iezidi filii regis Moawyae. Et potitus est Iezidus tyrannus Damasco et rex factus est. Et inde ubique excitata sunt praelia.

* p. 316.

CLXX. Confusio exorta inter Arabes post caedem Walidi [1]. — Emiseni itaque tenuerunt civitatem suam et regionem eius, et occiderunt Besherum filium Abdallae, emirum Emesae, quia regi Iezido adhaeserat. Aulas, tabernas, hospitia, et quidquid aliud possidebat Abbas in civitate eorum, everterunt et destruxerunt in suo zelo pro rege occiso. Fertur Marwānum filium Mohammedi, emirum Mesopotamiae, qui hoc tempore factus fuerat praefectus Armeniae, participem fuisse caedis Walidi, quia ipso die caedis regis Abdalmalichus filius Marwani ingressus erat Harran.

Post caedem Walidi, unusquisque milites in partes suas trahere studebat. In Occidente Iezidus, qui fuit auctor rebellionis, regnabat, et etiam vir alius qui vocabatur Sakasi [2], et Soleimanus filius Hishami; in Mesopotamia verum *regnabat*

[1] In cod.: Iezidi. — [2] Nomen dubium. Hanc pericopen fere ad verbum repories apud Michaelem syrum (ed. Chabot, p. 464).

Bistamus qui ⌜sectae Baihasitarum addictus erat[1]; Mosule autem, Saidus filius Bahdili princeps alius sectae quam vocant m u r g a y a[2]. In regione autem Persidis Waseṭam occupabat Abdallas filius Omari regis; in Armenia Marwanus filius Mohammedi, in Chorasana Bar Sārigi[3], in Africa Abu ⌜Hoḍaīl[4], cum multis aliis principibus Arabum, *regnabant*.

CLXXI. De morte Iezidi et regno Ibrahimi fratris eius. — Iezidus tyrannus, postquam occupavit Damascum dona multa distribuebat * Arabibus, et omnes post eum declinarunt. Elapsis mensibus quinque, erupit tumor in capite eius et mortuus est. Post eum, regnare fecerunt in seipos Damasceni Ibrahimum fratrem eius, virum qui bona fama gaudebat. Verum neque in manibus eius firmatum est regnum, utpote a Deo reservatum scelestissimo omnium hominum, perverso et misericordia destituto, Marwano illi qui a rege Hishamo praefectus Armeniae factus fuerat.

* p. 317.

CLXXII. Regnum Marwani; caedes Masruri; clades Soleimani, et caedes filiorum Walidi. — Is Marwanus quem diximus, ex Armenia profectus est quia, ut simulabat, zelo motus erat restituendi regnum filiis Walidi. Et pervenit in civitatem Ḥarran, cum nondum rex Iezidus, frater Abbasi, mortuus esset. Et Ḥarran mansit. Et ad ipsum pervenit fama de morte tyranni Iezidi et de regno Ibrahimi huius fratris. Tum tendit versus Occidentem cum suis copiis. Et cum pervenisset prope Emesam audivit Masrurum filium Walidi, hanc *civitatem* obsidere; quia Emiseni Ibrahimo non assentiebant. Tunc misit Marwanus filium suum Obeidallam cum exercitu ingenti: is invenit Masrurum et praelium cum eo commisit. Et devictus est Masrurus, etiam occisus est cum multis militibus; qui vero superfuerunt, abierunt et se iunxerunt militibus Soleimani qui castrametatus erat ad ʻAin Gara.

Et venit Marwanus obsidere Emesam. Exierunt vero obviam

[1] Locus corruptus; cf. infra, p. 251. Est بيهسية « schismatica gens seu turba quae originem duxit ab Abu-Baihas Haizam ben-Djabir » (Freytag, *s. v.*). — [2] Docet fidem sine operibus salutem procurare. — [3] Nomen incertum; Mich. syr. et Barhebraeus: *Sarig*. — [4] Nomen corruptum in textu; probab. arab. هذيل

ei Emiseni, et fecerunt cum eo pactum. Et abiit bellum gerere adversus Soleimanum, qui decertabat ut regno potiretur Ibrahimus. Cum pervenissent ad 'Ain Gara, mense tĕšrīn posteriore anni 1056', commiserunt praelium et devictus est Soleimanus: ex eius militibus xii milia occisa sunt, et ipse 5 Soleimanus cum servis suis Damascum aufugit; cum autem
* p. 318. timeret ne in ea urbe apprehenderetur et occideretur, * secum sumpsit thesauros multos et servorum tria circiter milia abiitque in arcem Roṣapham, quae est Arx Ga'bar, in qua habitaverat Hishamus pater eius, et eam occupavit: nam domestici 10 et familia Hishami et quidquid supererat ex eius thesauris ibi erant.

Abdalazizus vero, filius fratris Ibrahimi, cum certior factus esset Soleimanum devictum fuisse, ingressus est carcerem quo detinebantur filii Walidi, et flagellis ferreis eos mactavit 15 vitaque crudeliter privavit. Sed ultio iustitiae statim eum adepta est. Postquam enim necavit pueros, exivit ut iret domum et se ad fugam disponeret; sed urbis incolae, prius quam ad aulam suam pervenerit, eam circumdederunt et ei ignem iniecerunt. Et cum vellet inter eos transire et evadere, quidam liberti 20 Walidi eum apprehenderunt et occiderunt. Et post duos dies Marwanus Damascum pervenit et ei aperuerunt portas urbis; quia eis praescriptum fuerat a filiis Walidi: Si occidimur, Marwani sit regnum. Idcirco Damasceni in se regnare fecerunt Marwanum, die veneris, secunda tĕšrīn posterioris. Et iussit 25 Marwanus Iezidum e sepulcro eius extrahi, et eum ligno affixerunt. Et etiam cadaver Abdalazizi, ipso iubente, appenderunt portae Gabithae; multis quoque abscidit manus et pedes. Et postquam mansit Damasci parvum tempus, callide imposuit omnes thesauros regios qui Damasci erant tribus milibus camelo- 30 rum et secum abduxit in urbem Ḥarran, et reliquit Damascum omni apparatu regio destitutam. Et ideo priusquam perveniret Ḥarran, Occidens in eum commotus est, et sibi constituerunt
* p. 319. principem Thabetum * filium Noaimi. Marwanus autem cum attingeret Ḥarran, castrametatus est in pago qui vocatur Beth 35 Botīn.

CLXXIII. De plaga famis, luis et irae a Deo super terram hoc tempore immissa. — Hoc tempore **Marwanus avaritiae**

indulgebat et aggravavit iugum suum super terram. Multiplicavit exactiones, et custodes qui ab eo instituebantur ut prohiberent corruptiones erant ipsi corruptores et perniciosi, emiri et praefecti eius dicionis homines affligebant plagis sine misericordia, spolatione bonorum, et adulterio lasciviaque cum mulieribus, sine verecundia.

Praeterea, virga castigationis Dei extensa erat, pestis bubonica, quae plusquam gladius vastabat et occidebat. Dicitur enim plusquam ducenta milia hominum mortua esse in sola Mesopotamia. Bostrae autem et in Ḥauranitide, narratur uno mense singulis diebus viginti milia esse mortua, quando gravior fuit morbus in ea, praeter eos qui initio et fine luis mortui sunt. Fame autem pagi multi perierunt et deserti facti sunt. Patres a filiis suis aufugiebant. Fimum pecorum frumenti possessores collegebant et comedebant; nucleos acinorum et glandes pariter comminuebant et comedebant; pelles caprarum et ovium macerabant et devorabant. Et cum tam vehemens fuit ira, et frequentes castigationes, non conversi sunt homines a suis malis. Marwanus et familiares eius, sicut canes voraces, non satiabantur, ⌈et porta eius clausa erat[1] coram pauperibus et petentibus.

CLXXIIII. De expeditione Marwani in Occidentem, et de multis qui in eum rebellarunt. — Post rebellionem Thabeti, etiam Dachacus, princeps haruritarum, occupavit totam Beth Aramayē; et profectus venit in Occidentem ut bellum gereret adversus * Marwanum. Transacta hieme, exivit Marwanus et, Harran relicta, venit Callinicum, ut conaretur Soleimanum in suas partes trahere. Et cum misisset ad Soleimanum, inivit cum eo concordiam. Venit ad illum cum omnibus suis libertis; et adduxit secum Ibrahimum quem sibi regem constituerant Damasceni, et quem ceperat in bello adversus Soleimanum; et cum venisset Ḥarran, inclusit eum in carcere usque ad mortem. Dein, Marwanus transiit Euphraten, et processit adversus Thabetum, et cum Thabetus notum habuisset adventum Marwani ivit castrametari ad Tiberiadem. *p. 320.

Emesae autem vir e Kalbitis, cui nomen Sembatus, rebellavit,

[1] Sic interpretamur sententiam minus limpidam.

secum congregans multos Kalbitas. Cum autem venisset in hanc urbem Marwanus, eam obsedit quattuor mensibus, et fame oppressi tradiderunt eam. Et apprehendit Kalbitas, et ex eis alios crucifixit, alios expulit. Destruxit murum civitatis et eam in ruinas convertit. Inde profectus venit in regionem Arabiae 5 et habitavit in monasterio Iobi. Incolae Tiberiadis certiores facti de adventu Marwani, sibi animum addiderunt ut pugnarent adversus Thabetum. Multi ex eius militibus occisi sunt, et ipse cum paucis et uno e suis filiis aufugit, ut salutem quaereret in monte Sinaï. Misit Marwanus post eum exercitum; eum 10 ceperunt et adduxerunt ad Marwanum. Iussit Marwanus abscindi manum eius dexteram et pedem sinistrum; dein, cum Damascum rediisset, Marwanus etiam filium eius crucifixit ad portam Gabithae; et Damasco profectus, venit usque Circesium. 15

Soleimanus autem filius Hishami rebellavit in eum cum Arabibus Phoeniciae et Palaestinae, et festinarunt ut ingrederentur Ḥarran prius quam hanc repeteret Marwanus. Hoc audito, reversus est Marwanus ex itinere suo et adversus eos processit. Eos assecutus est apud Gabulam et praelium commi- 20 sit cum Soleimano. Et superatus est Soleimanus, et circiter septem milia * hominum ex eius exercitu perierunt; ipse vero aufugit Palmyram in deserto. * p. 321.

Et rediit Marwanus Callinicum; et militibus suis ut diriperent possessiones Hishami quae erant ad ripam Euphratis 25 permisit; apprehendit etiam circiter quadringentos viros e libertis Hishami, quibus amputavit manus et pedes. Sumpsit etiam duas filias Hishami, et eas invitas dedit filiis suis. Tum coegit Arabes dare fidem et consensum ut filii sui, Abdallas et Obaidallas, post ipsum regnarent. Adduxit secum Damasco 30 quingentos viros quos crucifixit in circuitu muri Harran. Partem exercituum filio suo Abdallae dedit et eum misit Nisibin, quia audiverat Dachacum paratum esse ut veniret Nisibin; alteram partem copiarum dedit Iezido filio Hobairae et eum Circesium misit. Et iussa dedit eis: Si Dachacus versus 35 Nisibin contenderit, Bar Hobaira descendat in Beth Aramayē, ingrediatur Aculam, quae est Cufa, et eam occupet; si autem versus Circesium veniat, similiter Abdallas Cufam capiat.

Rebus ita dispositis, profectus est Dachacus harurita et ivit versus Assyriam; cepit autem arcem Ninives, occidit ducem exercitus qui erat in ea et vocabatur Cathiranus et sumpsit thesaurum regis qui ibi erat, in quo invenit septingenta milia
5 denariorum, et in thesauro ipsius Cathirani centum quinquaginta milia. Et inde profectus transiit Dachacus Mosulem; et occidit Bistamum principem Baihasitarum, virum iustum et rectum. Et Mosule egrediens, venit obsidere Nisibin, in qua erat Abdallas filius Marwani.

10 CLXXV. Praelium Marwani cum Dachaco harurita, in regione Mardinensi. — Cum audivisset Marwanus Dachacum haruritam obsidere Nisibin et decertare cum filio eius Abdalla, profectus est ut iret adversus eum. Dachacus vero, audito accessu Marwani, abiit et, relicta Nisibi, tendit versus * Marwa- * p. 322.
15 num. Soleimanus autem filius Hishami erat cum eo; nam Soleimanus cum sociis multis, paucis abhinc diebus reliquerat Palmyram et apud Dachacum venerat. Venit ergo Dachacus cum Soleimano et castra metatus est in pago Tābīāta, inter urbem Daram et Caphartuta. Advenit etiam Marwanus, et sibi
20 occurrerunt ambae partes et praelium commiserunt. Et prima pugnae die multi occisi ceciderunt ex utraque parte; et occisus est Dachacus harurita. Tum ducem sibi constituerunt haruritae Chaibraeum; et sexta mensis tĕšrīn prioris rursum praelium consertum est. Et ursit Chaibraeus exercitum Marwani, id est
25 partem exercitus cui praeerat Marwanus; et fugit Marwanus cum sociis suis, et occisi sunt multi ex eius exercitu, adeo ut obstructae essent aquae fluminis Būsaei virorum cadaveribus. Parum abfuit quin periret Marwanus, nisi Abdallas, filius eius, cum suo exercitu, reversus sit ex altera parte adversus haruri-
30 tas; et invenit Chaībraeum qui iam invaserat castra Marwani, et tentoriis eius potitus erat, et sedebat super tapetes Marwani. Non erant cum eo nisi triginta equites; Abdallas autem et eius milites eum aggressi sunt et occiderunt eum et eos qui cum eo. Et reversus est Marwanus in castra sua post hanc victoriam
35 quam retulit filius eius.

Haruritae autem sibi constituerunt principem virum cui nomen Shaibanus, et inde profecti abierunt Mosulem. Et Marwanus eos persecutus est. Ḥaruritae quidem transibant nemi-

nem laedentes; asseclae vero Marwani sine misericordia multa mala in transitu suo faciebant. Ḥaruritae Tigrim transierunt. Marwanus quoque castra metatus est in regione Ninivensi, et utraque pars sibi fossam fodit et castra sua munivit. Crevit autem exercitus Marwani ad centum quinquaginta milia hominum; et haruritarum non erant decem milia; fortiter tamen exercitui Marwani resistebant. Et postquam per octo menses * protractum est bellum, defecit factio haruritarum, et profecti sunt: alii abierunt versus Mediam, et alii dispersi sunt in varia loca. Marwanus autem Ḥarran reversus est.

* p. 323.

Hoc tempore erat in carcere Ḥarran, Ibrahimus frater Iezidi tyranni, quem supra memoravimus per breve tempus Damasci regnavisse, et postea in bello captum fuisse a Marwano qui eum Ḥarran adduxerat.

CLXXVI. De Abū Mūslimo, et undenam fuerit initium eius, — Is Abu Muslimus textor erat arte sua. Et quidam dicunt eum fuisse libertum maiorum *regis* Abu Ga'far; alii autem dicunt eum fuisse ex servis manumissis Muslimi. Habitabat autem Amidae in urbe, et labore artis suae vivebat. Post caedem Walidi regis, vendidit servum suum et instrumenta suae artis, et emit sibi asinum; et eo equitans venit apud Ibrahimum Ḥarran: [et ingressus est][1] carcerem apud Ibrahimum. Ibi autem consilium iniit Abu Muslimus cum Ibrahimo, qui erat e genere et familia Mohammedi. Cum ingressus esset ad ipsum, et eum vidisset Ibrahimus Abu Muslimum idoneum esse voluntati suae exsequendae, misit eum in Chorasanam, et ei praescripsit quomodo se gereret in his quae facturus erat. Cum autem pervenisset in Chorasanam Abū Muslimus multos allexit in suam mentem, et secretum suum revelavit quattuordecim viris; vestes nigras induit sicut et isti quattuordecim viri, et crescere siverunt comam suam; et se paraverunt ut vindictam sumerent pro nepotibus Mohammedi. Verumtamen adhuc occulte; nam secreti conscii non erant nisi hi quattuordecim viri. Ex inde usque hodie crescere sinunt crines suos et expandunt * in humeros suos Chorasani et Persae qui adscendunt in plagam occidentalem ad pugnandum [cum inimicis Arabum[2]. Et

* p. 324.

[1] Aliquid excidisse videtur. — [2] Sic textus; exspectes potius « contra inimicos suos Arabes ».

vocantur g ā z ī n, id est defensores veritatis fidei. Deinde creverunt et eis adhaeserunt multi ex incolis Chorasanae. Et facti sunt congregatio magna; et occiderunt omnes Arabes quos invenerunt in hac regione.

Cum autem fama eorum ad Marwanum pervenisset, timuit et mandavit ⌜Omaro, consilii sui participi[1] qui erat princeps in regione Persidis, ut eis obviam iret. Ivit igitur Omarus adversus P a z g a y ē [2], et eos invenit in regione Parthiae quae hodie Ispahan appellatur. Et commiserunt cum eis pugnam. Et coram eis defecit et occisus est Omarus cum multis ex exercitu eius; et potiti sunt Pazgayē castris eius.

Hoc tempore dux erat in Oriente Iezidus filius Hobairae; et processerunt Pazgayē adversus Bar Hobaira.

CLXXVII. De praelio altero τῶν Pazgayē cum Bar Hobaira, et de regno Abūlabbasi in Oriente. — Bar Hobaira itaque collegit exercitum magnum et egressus castrametatus est ad orientem Ctesiphontis. Et cum venirent Pazgayē fugit coram eis et venit cis Tigrim. Et eum assecuti sunt Pazgayē; et debilitatus coram eis, vertit terga et aufugit Wasetam, quia munita erat *civitas* et in ea exercitui necessaria collegerat. Pazgayē autem post fugam Iezidi diripuerunt castra eius, et in eis sumpserunt multam pecuniam. Et venerunt Aculam, quae est Cufa. Ibi revelatus est eis vir cui nomen Abu Salamah, particeps secreti Abu Muslimi. Et ab eo consilium acceperunt quomodo agerent.

Hoc tempore mortuus erat Ibrahimus qui reclusus erat Ḥarran, et erat frater Iezidi et Abbasi tyrannorum [2]. Familiares autem Ibrahimi * qui reclusus erat Ḥarran, universim Aculae erant; quia quando captus fuit Ibrahimus aufugerunt et illic abierunt. Cum moreretur Ibrahimus in carcere Ḥarran, testamentum fecit, in quo de suis familiaribus mandatum dedit Abdallae fratri suo uterino, qui cognominabatur Abulabbas. Is hoc tempore erat Cufae. Et venerunt Chorasani cum Abu Salamah, et tulerunt Abdallam Abulabbasum qui fuit primus chalifa Abbasidarum Bagdadi; tulerunt eum unde erat et eum regnare fecerunt in eos.

* p. 325.

[1] Locus fortasse corruptus; pro b r d w b r h, legendum b r H w b i r a « Bar Hobeira »? — [2] Sic, ms., teste Barsaum; Rahmanus edidit Pangaye.

Et cum regnum auspicatus esset, misit partem exercitus Chorasanorum cum viro nomine Abu Aun versus Assyriam, et partem aliam cum Hasano filio Cachtabae misit Wasitam, ut impugnaret Iezidum filium Hobairae. His auditis, misit Marwanus Abdallam filium suum versus Assyriam ut Chorasanis occurreret, et alterum filium suum Obaidallam misit cum exercitibus ut iret Circesium. 5

Hoc anno, natus est filius Constantino imperatori Romanorum e filia Chagani regis Chazarorum, et eum nominavit Leonem, nomine patris sui. 10

CLXXVIII. De seditionibus et ruinis quae acciderunt hoc tempore in Occidente, et de casu civitatis Mabbūg. — Eo anno 1060° Graecorum, 134° Arabum, perturbatio magna regnabat in mundum, non tantum in rebus civilibus sed et in ecclesiasticis, sicut diximus et scripsimus in libro rerum ecclesiasticarum: *ubi narravimus* et schismata et pugnas quae fuerunt tempore Iohannis patriarchae et Athanasii Sandalensis, et convicia et discordias quibus repleta est Ecclesia, et quomodo ipsa creatio in eventibus profitebatur et proclamabat iram Dei in homines. 15 20

* p. 326. Iam ergo loquamur de iis * quae in Occidente acciderunt hoc tempore, de terrae motibus nempe et subversionibus, de incendiis, de variis calamitatibus, de pagis et arcibus e suo loco amotis, de fontibus quorum aquae mutatae sunt, de mutatione fluminum et fontium, ceterisque calamitatibus quas mens impar est definire, et talibus ut ipse rex Marwanus, qui minime Deum noscebat, cum illas audivisset et suis oculis vidisset, commotus et perterritus fuerit, et etiam epistulam ad paenitentiam et admonitionem scripserit in omnes partes suae dicionis, suadens nempe omnibus ut iniquitatem quam committebant dimitterent et in paenitentia et lacrimis Deum supplicarent ut has plagas coerceat et a mundo avertat. 25 30

Damasci autem et in tota regione fuit terrae motus, qui per dies duravit, quo commota est et tremuit. Erat autem in Beth Cubayē, arx quaedam ab Hagago filio Iosephi summa cura et magnis expensis aedificata. Haec autem eversa est et ruit a fundamentis, et plus quam octogenti homines perierunt et obruti sunt in medio eius. Etiam in ipsa civitate multi homines 35

mortui sunt. Pariter ⌈in Guṭah (*suburbio*) *in vico* Dareya[1], innumeri homines in hoc terrae motu perierunt. Penitus obrutae fuerunt Bosra et Neve. Baalbek autem magna ex parte corruit, et fontes aquarum in ea quasi sanguis facti sunt.

Mari quoque fuit procella insolita et inassueta. Videbantur fluctus eius quasi ad caelum sustolli. Et tanquam olla quae, supposita flamma ignis, ebullit ita fervebant undae cum sonitu horrido qui audientes tremefaciebat. Erupit etiam et exiit e suis finibus destruxitque multos pagos ad littus suum. Narrantur quoque multa alia, quae si consignarentur magnum laborem scriptori et lectoribus crearent.

Dicunt quoque, * etiam in regione Belca seu Moabitide, arcem quamdam ad littus maris sitam, in qua habitabant Arabes Iemenitae, irruentibus in eam fluctibus abyssi, a fundamentis ereptam et ad tria milia proiectam esse. Tiberiadem civitatem totam subvertit terrae motus ille, praeter aulam viri tonsoris, qui vocabatur ʻIsa. Eversae sunt quoque triginta synagogae Iudaeorum, et res naturales mirabiles quae erant in hac civitate. Thermae a rege Salomone aedificatae, mirabili constructione, penitus eversae sunt et ruerunt. Erat quoque in hac urbe fons aquarum purgativarum a Deo datus in sanationem hominum. Et supra illum aedes pulcrae aedificatae fuerant, et in circuitu latrinae ad usum eorum qui conveniebant ut purgarentur. Dicitur enim in his aedibus urceos figulinos arte dispositos esse, et cuique inscriptum quot vicibus purgaret ventrem eius qui biberit illum. Et quisque iuxta modum quo purgari cupiebat, ita eligebat urceum quem biberet. Hae officinae omnes vastatae sunt et destructae. Etiam alius pagus, prope montem Thabor, remotus et translatus est suo loco ad quattuor milia, cum domibus et possessionibus[2] suis, et ne unus quidem glebae globulus aut lapis e domibus eius decidit; nec ullus periit ex possessoribus aut ullum ex animalibus, ne unus quidem gallus.

* p. 327.

Fons autem aquarum, qui situs est prope Ierichuntem et ad quem arces, horti, molae a Soleimano filio Abdalmalichi condita fuerant, ipse suo loco mansit, sed fluvius qui inde oriebatur

[1] Coniectura sic interpretor. — [2] Vox designat bona mobilia et animalia domestica.

mutatus est et ad sex milia recessit e loco in quo fluebat; ita ut
* p. 328. omnes institutiones * ad hunc fluvium a Soleimano factae
perierint.

Mabbug autem ruina fuit non qualiscumque, et multi homines in ea perierunt; eius enim ecclesia, tempore sacrificii dominicalis, dum stans sacerdos elevat manus super oblationem, ruit, perditione subita eos attingente; et non potuerunt e templo exire, sed omnes qui in eo erant obruti et perempti sunt, sacerdotes simul et populus; et pro canticis et psalmis spiritalibus, clangores et lamentiones audiebantur in tota civitate. Diruta sunt quoque fundamenta muri.

Et cum haec et his adhuc maiora fiebant, homines a malitiis et impietatibus suis non cessabant. Et praesertim negotia ecclesiastica hoc tempore maxime perturbata erant. Propterea summis angustiis opprimebantur homines: tributa gravia, inopia fructuum, bella et effusio sanguinis in omnibus regionibus.

CLXXIX. De bello Abdallae Abulabbasi adversus Marwanum. De clade et ruina magna Marwani in regione Ninives. — Abdallas autem, is qui Cufae a Chorasanitis rex institutus est, misit Abdallam fratrem suum seniorem, qui appellabatur Abu Ga'far, ad Chorasanitas qui erant cum Hasano, ut ipsi darent assensum, et fiat eis dux Abu Ga'far. Misit quoque Abdallam filium Ali patrui sui ad Abu Aunum et Chorasanitas qui cum eo, ut ipsi darent assensum, et ille fiat eis dux. Abu Ga'far petiit Wasitam et invenit Hasanum filium Cachtabae, qui hanc *civitatem* oppugnabat. Iussit Abu Ga'far urgeri pugnam adversus Wasitam, et protractum est bellum eorum.

Marwanus autem collegit copias Syriae et tendit versus Assyriam. Et Abdallas filius Alī, cum exercitu Chorasanitarum
* p. 329. venit castrametari ad * Zabam fluvium in Assyria; et etiam Abdallas filius Marwani venit ad occidentem eiusdem Zabae, e regione castrorum Persarum. Et ambae partes manserunt absque pugna, donec venerit Marwanus cum suo exercitu. Is cum venisset, ingressus esset regionem Assyriae et transiisset Tigrim, mandavit Abdallae filio suo ut transeat fluvium Zabam et castra sua ponat ad ripam ex altera parte, illaque vallo circumdet. Ipse Marwanus ad ripam fluminis occidentalem castrametatus erat, et pontem struxit supra Zabam. Et paravit

copias suas ad praelium conserendum; excitavit armatos, armavit equites, disposuit peditum et equitum turmas et ordines suos distribuit, cum ostentatione, spernens Persas et glorians in multitudine militum suorum; et nullum erat ei dubium, 5 ut ita dicam, quin victoria ipsius sit. Quando autem accesserunt ambae partes et consertum est praelium, et alteri in alteros insiluerunt, ordines Persarum, quasi murus inconcussus, firmi steterunt in pugna. Antea enim gladiorum suorum vaginas fregerant, et adversus Marwanum usque ad horam nonam 10 pedibus dimicabant. Et cum prope erat dies ut declinaret tergum verterunt Marwanus et exercitus eius; eos autem persecuti sunt Persae et Maurophori, eosque premebant ad vadum fluminis et ad pontem: et alii gladiis caedebantur multique in flumine suffocabantur; alii manibus inimicorum capti sunt, 15 et qui evaserunt coram facie sua fugerunt. Maurophori autem castris filii regis potiti sunt, et diripuerunt tentoria eius et omnes divitias ipsius virorumque qui cum eo erant. Et transierunt in castra Marwani et ex eis aurum argentumque collegerunt, et vestes et arma, et opes innumerabiles, sicut arenam 20 maris. Ut fertur, ipse septingenta * onera denariorum et zuzarum, cum vestibus et opibus regiis, secum deferebat. * p. 330.

Et quidem regna spoliatus Marwanus cum filio suo, genero suo et triginta equitibus, in pudore et ignominia aufugit in civitatem Ḥarran. Maurophori autem in castris mensem inte- 25 grum morati sunt, gaudentes et exultantes in partitione praedae. Accidit clades Marwani ad Zabam fluvium, die sabbato, vicesima quarta mensis kānūn posterioris, anno 132° Arabum.

Et ab hoc anno translatum est regnum e familia Omayae ad familiam Hashemi [1]; et confirmatum est imperium Abdallae 30 filio Mohammedi, qui est Abulabbas.

CLXXX. De fuga Marwani ab *urbe* Ḥarran, et ruina eius absoluta. — Marwanus itaque eiusque filius Ḥarran pervenerunt, ut diximus, cum expelleretur ex Assyria. Evacuavit divitias et thesauros imperii, quae Ḥarran relicta erant; et sumpsit 35 filios, proximos, servos et libertos suos, circiter decem milia, et Ḥarran discessit, rebus suis supra tria milia camelorum im-

[1] I. e. stirpe Omayadarum ad stirpem Abbasidarum.

positis, et Euphraten transgressus, Syriam Palaestinamque transivit et pervenit usque Ascalonem, quae ad mare sita est. Ibi autem mansit donec de Abulabaso famam accipiat. Arabes autem qui erant in Syria, cum viderent Marwanum in Occidentem transisse Abulabbaso adhaesionem suam miserunt. 5 Abdallas autem filius 'Alī, patrui Abulabbasi, profectus est et venit Ḥarran cum exercitibus Chorasanitarum et iussit ante omnia arcem Marwani everti, necnon palatium quod habebat in vicinia Charrarum, in pago Beth Botīn vocato. Et postquam omnia aedificia Marwani destruxit, constituit principem in 10 Mesopotamiam, virum e Chorasanitis qui cum eo erant, nomine Musam filium Caabi, et festinanter ultra progressus est ad assequendum Marwanum. Walidus autem gener Marwani, certior factus de adventu Abdallae * munivit Damascum, ubi residebat; et se devovit ad decertandum cum Abdalla, prout 15 ipsum transeundo iusserat Marwanus, ut illum retardaret et impediret quin ultra progrederetur; ita ut sit opportunitas *Marwano* aut colligendi exercitum et bellum gerendi cum eo, aut salvandi seipsum.

*p. 331.

Abdallas autem cum pervenisset Damascum, obsedit eam; 20 disposuit scalas easque muro applicuit. Iam vero intus erant viri ipsum adiuvare parati. Qui autem Walido addicti erant, pugnabant et cohibebant eos qui murum adscendere conabantur, sed inventi sunt susceptores Abdallae plures quam eius impugnatores, atque ii qui murum adscenderunt, cum illis qui 25 intus eos adiuvarunt, portas urbis aperuerunt, et cum maxima pars exercitus ingressa esset, gladium immiserunt in homines cuiusque aetatis, in plateis et viculis, in domibus et palatiis; et incubuerunt caedi ab hora tertia ad sextam, et diripuerunt civitatem. Et iussit Abdallas prohiberi caedem et praedam. 30 Occisus autem est Walidus gener Marwani; occisi sunt quoque cum Arabibus multi Christiani et Iudaei.

Dum haec aguntur, misit Abulabbas Salihum filium Alī, patrui sui, cum congruenti exercitu, et iussit illum progredi per desertum Cades, donec pervenerit ad Abdallam fratrem eius 35 et se ei iunxerit, ut ei auxilium ferat in Marwano persequendo. Cum notam habuerit Marwanus caedem generi sui, atque devastationem depraedationemque Damasci factam, penitus amisit

spem vitae, et faciem suam vertit Aegyptum versus. Profectus autem Salihus praevenit fratrem suum Abdallam in persecutione Marwani. Marwanus autem cum ingressus esset Aegyptum, audivit Salihum ipsius vestigiis instare, Misraim dis-
5 cessit et per fluvium Nilum adscendit versus Syenen civitatem, in finibus Nubiorum. Et mox dedit Salihus partem exercitus viro nomine Omaro, quem misit ut celerius Marwanum prosequeretur. Omarus autem * festinanter gressus assecutus est * p. 332. Marwanum cum sisteret ad ripam fluminis Nili, tempore noctis.
10 Fuit praelium nocturnum in tenebris; et dispersi sunt socii Marwani. Marwanus ipse stetit supra monticulum quemdam, nec dimicare destitit donec occisus est. Duo autem filii eius, Abdallas et Obaidallas, cum paucis viris aufugerunt Syenen versus. A fratro suo se separavit Abdallas, et transfretatus
15 mare Rubrum, venit Meccam, et ibi occultus est a viris qui eum noscebant. Obaidallas vero postquam ingressus est terram Cushitarum, in regionem aridam, siti periit.

Cadaver vero Marwani et totam eius sarcinam sumpsit Omarus et secum adduxit ad Salihum, in Babylonem, quae
20 est Fosṭaṭ. Et iussit Salihus abscindi caput Marwani, illudque misit ad Abulabbasum regem; cadaver vero ligno affixit.

CLXXXI. De dolis et persecutionibus quibus usi sunt Abdallas filius Alī et Abdallas Abu Ga'far erga Arabes, post suam victoriam de Marwano; et de rebellione Arabum adversus
25 eos. — Rex itaque Abdallas, qui cognominatur Abulabbas, iussit sibi aedificari urbem prope Pīršabūr, quam Anbar appellant. Et cum aedificata esset, secundum eius mandatum, in ea domicilium suum fecit. Est autem haec ad occidentem Bagdadi, ad Euphratem fluvium. Frater eius Abdallas, qui
30 cognominatur Abu Ga'far, multum tempus mansit in oppugnanda Wasiṭa civitate. Denique dedit verbum et pactum [Iezido] [1] filio Hobairae et huius sociis, ut ei traderent urbem et non sit eis malum. Hoc pacto aperuerunt civitatem, et egressus est ad eum Bar Hobaira cum suis sociis. At Abu Ga'far
35 suo pacto mentibus apprehendit Bar Hobaira et occidit eum; demolitus est muros Wasitae, et inde profectus apud fratrem suum Abulabbasum venit.

[1] Cf. supra, p. 254.

* p. 333. * Abdallas autem filius Alī, postquam reversus est e persecutione Marwani, fixit castra sua in Palaestina, in loco Antipatride appellato. Et apud eum convenerunt plures ex Omayadis, viri numero septuaginta. Dederat enim eis verbum pro salute, quod non laederet eos, et etiam fiduciam habebant eo 5 quod ex eorum genere ortus erat. Sed iussit ut ingrederentur coram se in aulam quam habitabat, et singulos immolavit malleis ferreis; abscidit etiam capita eorum misitque fratri suo Abulabbaso. Et iussit diripi bona eorum et occidi propinquos eorum quocumque inveniantur. Et inquisivit eos in omni 10 Palaestina, in Arabia et ubique. Cum autem viderent Arabes Syriae se contemni, et taliter vexari et humiliari, coram Persis, et servos dominari in liberos, et suas uxores honorabiles stuprari, zelo accensi sunt et ira repleti, et plerique in regem rebellarunt. 15

In Arabia rebellavit vir Caisita, nomine Habibus filius Morrae; et in Syria vir alius, etiam e Caisitis, cui nomen Abulwardus; et in Mesopotamia, Manṣurus filius Ga'unnae; et fuit hoc tempore perturbatio et confusio magna. Concordes fuerunt Arabes ut se submitterent Hashimitis seu Abbasidis. 20 Ex inde Habibus filius Morrae venit Damascum et expulit Chorasanitas qui ibi erant. Abulwardus etiam collegit exercitus plures Arabum e Syria et processit adversus Abdallam filium Alī; quo audito, venit Abdallas versus Emesam. Sibi invicem occurerunt ad Hamah in prato quod vocatur Pratum 25 exsecrandum (Ḥ a r m a). Et, commisso praelio, multi ceciderunt ex utraque parte; denique declinavit victoria ad Abdallam filium Alī; is triumphavit et occidit Abulwardum plerosque

* p. 334. milites eius; pacem * restituit Syriae et Phoeniciae, et Damascum reversus est. Aggressus est rursum Habibum et socios eius, 30 qui defecerunt coram eo, et pacem restituit Damasco et regioni.

Mansurus autem filius Ga'unnae occupavit Edessam eamque munivit et se in ea fortiter stabilivit. Sibi collegit multitudinem Caisitarum et se paravit ad bellum. Similiter etiam Ischacus, filius Muslimi, occupavit Samosatam et sedit in ea. Et tali 35 modo singulas civitates Mesopotamiae occupavit unus aut alter ex optimatibus Arabum, Callinicum, inquam, et Circesium, et

Nisibin, et Daram, et Tellam-Mauzelat, et Rhesainam, et Amidam, et Maiphercat.

Tum convenerunt omnes Arabes Mesopotamiae adversus Harran quam tenebant Chorasanitae. Et instituerunt in eam 5 acrem pugnam, sed eis strenue et fortiter restitit Musa filius Caabi. Dum impugnant urbem, advenit nuntium de clade Abulwardi et Ḥabībi. Et cum id audivissent Arabes qui obsidebant Ḥarran nullus socium respexit, sed omnes dispersi sunt, et abierunt unusquisque in locum suum.

10 His auditis, Abdallas Abulabbas misit Abu Ga'far fratrem suum in Mesopotamiam cum exercitu magno. Et transiit primum Circesium, et in eo reliquit virum nomine Naṣrum, cum parte sui exercitus. Erat autem Circesii vir Coraishita, cui nomen Mundir filius Zubairae. Et venit Abu Ga'far Ḥarran. Venit 15 etiam Abdallas filius Alī, patrui eius, e Syria versus Samosatam. Et adscendit Abu Ga'far Charris ut impugnaret Edessam. Et cum approprinquaret ad murum eius, exierunt Arabes, qui in ea erant, et occiderunt multos ex eius militibus [1]. Abu Ga'far autem castra posuit ad flumen * Medorum, et coepit spoliare * p. 335. 20 et vastare regionem Mesopotamiae per novem menses. Et postea ivit obsidere urbem Daram eamque cepit. Abdallas autem, filius Alī, qui obsidebat Samosatam a dolo et stratagematibus non destitit donec se sponte submiserint Mansurus filius Ga'unnae, praefectus Edessae, et Ischacus filius Muslimi princeps Samo- 25 satae, et isti tradiderint ei civitates.

Similiter, Naṣr expugnavit Circesium. Et ita omnes civitates Mesopotamiae tenuerunt Chorasanitae. Mundirum autem prin-

[1] Nota marginalis recentiore et imperita manu scripta: Cum videret Abu Ga'far Edessenos in se rebellavisse, misit petere ab Edessenis equum qui erat Edessae. Peto illum a vobis, inquit, et nihil aliud. Intendebat quidem murum illum solidum a rege Seleuco aedificatum. Quod factum est. Et iuravit se nemini damnum aut vexationem causaturum. Et postquam tradiderunt Edesseni civitatem, convocavit senes et principes Edessae, et cor eorum gaudio affecit, et cum eis locutus est pacifica. Et petiit equum, id est: murum civitatis vestrae in quo conscendistis ut in me praevaleretis et rebellaretis. Et ipso iubente, destruxerunt illum usque ad fundamenta. Et post annos paucos reaedificatus est murus ab Edessenis structura fortissima. (Narratio parum concinne excerpta e Basilio Edesseno; cf. Mich. Syri *Chronicon*, ed. Chabot, p. 640).

cipem Circesii ligno affixerunt. Et iussit Abu Ga'far, muros omnes civitatum Mesopotamiae everti. Et destruxit etiam murum Edessae et omnium civitatum, praeter quam Maiphercat et Ḥarran[1].

CLXXXII. De re mirabili quae accidit in castris Abdallae filii Alī. — Cum esset Abdallas filius Alī in Occidente, et castra metatus esset[1].............. tumultus magnus subito exortus est in castris, ita ut omnes qui in eis erant commoverentur et exirent e tentoriis suis, currentes ut viderent quis esset clamor in castris auditus. Egressus est et ipse Abdallas e tentorio suo, ut sciret quid accidat. Et neque ipse, * neque maior pars eorum qui currebant sciebant quare currant. Et ita non quieverunt donec pervenirent ad sepulcrum quoddam. Et apparuerunt eis septem aut octo viri ex eis qui ibi sepulti erant; et quasi viventes stabant; quidam ex eis emergebant e terra ad pectus et supra, et quidam ad genua. Inter eos quidam barbam cypro tinctam habebant, prout mos est Arabibus tingere. Et cum accessissent quidam ex hoc coetu ut loquerentur cum eis, loquela illis non erat nec verbum cuiquam respondebant. Et cum omnes stupefacti rem mirarentur, praecepit dux exercitus ut eos relinquerent quales erant vetuitque ne quis ad eos accederet. Sperabat enim verbum ab eis proferendum quo discerent ab eis quid sit haec apparitio, cuius similis nunquam audita est. Totam diem hanc exspectaverunt, et rediit unusquisque ad tentorium suum; et constituerunt eis custodes, et reversi sunt die altera, et eos invenerunt quales erant. Tunc, iubente Abdalla emiro, iterum sepeliverunt eos, et reversus est quisque ad tentorium suum.

CLXXXIII. De expeditione Constantini imperatoris Romanorum in Melitenam, et quomodo filium suum, ipso vivente, regnare fecerit. — Hoc tempore mortua est uxor Constantini imperatoris. Et mansit viduus tres annos, custodiens legem regibus impositam, ne sumant secundam uxorem. At vero filius eius imperator proclamatus est et appellatus Leo; tum accepit uxorem secundam. Regnare quidem fecit filium suum Leonem, sed imperium gubernabat ipse Constantinus qui erat vir sapiens et inimicis metuendus.

[1] Nomen omissum est.

Et anno 1063° Graecorum, egressus est imperator Constantinus cum exercitibus Romanorum, et oppugnavit * urbem Melitenam. Et in eam munitiones instituit, et rupit partem muri eius. Denique fidem dedit Arabibus qui in ea erant, et servavit eos eorumque familias, et captivos abduxit incolas pagorum christianos. Et populatus est regionem Claudiae et Armeniam. Claudiam etiam igni vastavit. Et cum essent Romani in Armenia, venit Chaledus filius ʻAchaei, praefectus Edessae, cum exercitu Arabum; et commiserunt praelium. Devicti autem sunt Arabes; aufugit Chaledus et multi ex militibus eius occisi sunt. Et Romani Armeniam incenderunt et eius incolas in regionem Romanorum captivos abduxerunt.

* p. 337.

Erat autem Abū Gaʻfar hoc tempore in Armenia, versus fines Turcarum.

Hoc anno congregavit Constantinus synodum episcoporum, et statuerunt non licere venerari imagines. Et anathematizarunt in hac synodo Sergium et Iohannem filium Manṣūri, et Georgium Damascenum. Et idcirco, usque hodie, detestantur Romani hunc imperatorem, quia vetuit ne colerentur imagines.

Hoc tempore, prope Nicomediam, urbem Bithyniae, invenerunt quidam speluncam in qua sepultus erat Nicodemus rex, urbis conditor, iacens supra lectulum aureum. Et supra eum erat conflatile aureum et lapides pretiosi: smaragdi scilicet, et hyacinthi, et carbunculi, qui lucebant in tenebris. Cum haec invenissent effossores, timuerunt et monuerunt praefectum civitatis. Praefectus autem, ne palpabit quidem has tantas divitias, sed certiorem fecit imperatorem Constantinum. Imperator vero misit quosdam viros fideles ut inspicerent speluncam. Qui cum venissent et vidissent regem Nicodemum, pollinctum et in lectulo iacentem, ut diximus, et quantitatem auri et lapidum pretiosorum apud eum *depositam*, reversi sunt et imperatori rem exposuerunt. * Imperator vero iussit speluncam sectis lapidibus muniri et supra illam collem altum terrenum sollicite aedificari, ita ut aperiri non possit. Et hac in re magnitudinem ostendit, dicens: Indecorum esse regibus viventibus ut mortuis indigeant.

* p. 338.

CLXXXIIII. De emiris seu principibus quibus auctoritatem dedit Abulabbas in varia loca, et de eis quae egit prius quam

moreretur. — Anno 1065°, Abadallas Abulabbas misit educere ex Ḥarran quidquid inveniebatur in thesauris regni, ubi a tempore Marwani, magnae divitae depositae fuerant, et eas in civitate quam aedificaverat reposuit.

Praefecit Salihum filium Alī universae Aegypto et Libyae. Praefecit Abdallam filium 'Alī, fratrem Salihi, Syriae et Damasco, Palaestinae et Phoeniciae. Abu Ga'far autem praefecit Mesopotamiae et Armeniae.

Iachiam, fratrem suum praefecit universae Assyriae et Mosuli et Ninives.

Et cum praefecturam exerceret Iachias in Mosulem congregavit plerosque principes Mosulis in quadam mesgida, et eos occidit. Reliqui vero aufugerunt et latuerunt. Adfuit autem quidam ex officialibus Iachiae, qui vocabatur Ibn Fadhl; is decepit triginta ex principibus, quibus iratus erat Iachias. Eos introduxit in quoddam conclave subterraneum, quasi ut dissimularet eos donec pro eis intercedat. Et educebat eos unum post alterum, et iugulabat eos tanquam oves. Et disposuit capita eorum in scutellis, supra ea expandit sudaria, et missit ad Iachiam. Putabant autem qui videbant quid pretiosum esse; et cum ea vidisset Iachias, prae gaudio surrexit; genuaflexit et oravit. Statim vero iussit eorum familias penitus deleri; et transierunt, strictis gladiis, per vicos et sine misericordia mulieres et virgines, * iuvenes et parvulos necarunt. Et inenarrabilia mala fecit Mosule is Iachias.

Soleimanus autem filius regis Hishami, qui ob timorem a Marwano aufugerat, cum audivisset caedem Marwani et regnum Abulabbasi, alacriter surrexit et venit ad eum, existimans se magno honore dignum ab illo habendum ob suam inimicitiam erga Marwanum. Et cum venisset ad Abulabbasum, non solum honorem non invenit, sed, isto iubente, eum, et etiam filium eius Iobum, sicut oves, cultro iugularunt. Et ita cecidit timor Hashemitarum [1] in universam terram.

Hoc tempore Abu Muslimus et Abu Ga'far Meccam iverunt ad orandum. Et praecepit Abulabbas Abdallae filio Alī ut copias Arabum et Persarum collegeret atque invaderet Beth

[1] I. e. Abbasidarum.

Romayē. Et venit Abdallas in pratum Dabec. Congregabat ergo exercitus, cum accepit nuntium, die nona ḥazīrān anni 1065[1] mortuum esse Abulabbasum et regnum fratri suo Abu Ga'far legavisse. Et cum esset Meccae in pio itinere Abu 5 Ga'far, Abdallas filius Alī ipse regnavit in exercitus qui apud eum congregati erant. Adveniente autem Abu Ga'far Cupham, regno Orientis potitus est et misit Abu Salimum[1] ut bellum gereret adversus Abdallam. Et cum convenissent ambo, conserto praelio inter eos, devictus est Abdallas. Tum Abu Salimus 10 peragrabat regiones Occidentis. Dictum est autem *regi* Abu Ga'far hunc rebellionem moliri; et ideo perturbatio exorta est in Syria. Cum videret Abu Ga'far multos Arabes propensos esse in Abu Salimum hunc verbis mitibus et blanditiis Isae allexit. Venit igitur apud Abu Ga'far, et cum appareret in 15 conspectu eius, innuit rex satellitibus, qui eum occiderunt.

CLXXXV. De rebus gestis tempore Abu Ga'far. — Anno * p. 340. 1073°, aedificavit Abu Ga'far urbem ad Tigrim supra Ctesiphontem, et eam Bagdadum appellavit; transtulit ibi sedem suam. Aedificavit rursum civitatem iuxta Callinicum, quam 20 appellavit Rafiqah. Ars portarum eius ea erat qualis nunquam visa est. ⌈Haec porta quae mirabilis est magnitudine et artificio ferreae materiae stat ad portam Callinici, ex quo destructa est Rafiqah, usque hodie[2].

Is Abu Ga'far praefecit Mosuli Musam, filium Muṣabi, 25 virum iniquum et immisericordem, christianorum hostem; is excogitavit supplicia quae nunquam fuerant in mundo; aggravavit tributum, multiplicavit exactiones; appendit numismata plumbea collo hominum, et abscindebat pollices manuum eorum; exegit vectigal etiam pro fenestris et portis; adeo ut homines 30 sepulcra antiqua foderent ad eruendum aurum et argentum.

Fuit autem fames magna ac lues eius diebus, et ita deficiebant homines ut non fuerit qui sepeliret. Egressi sunt lupi et multos homines devorarunt. Venum ibat asinus zuza, et bos zuza et tres aut quattuor oves zuza, duo vel tres pugilli fru- 35 menti zuza; et fames gravis erat in mundo!

[1] Sic ms., utroque loco; Mich. Syrus et scriptores arabici: Abu Muslimum. — [2] Textus paulisper corruptus.

Post haec, et postquam tantum aurum collegit, et dominatus est in Mosulem spatio trium annorum, is Musa apprehensus est et iudicio damnatus; publicatum est quidquid possidebat, et uxores eius et filii eius venumdati sunt.

CLXXXVI. De regno Mahdi et de morte Abu Ga'far. — Postquam regnavit Abu Ga'far annos XXIII, mortuus est; et post eum regnavit Mahdi filius eius. Is cum regnum auspicatus esset solvit omnes vinctos et reclusos quos incluserat pater eius; et cum eis patriarcha Georgius solutus est e carcere * in quo fuerat per novem annos, sicut scripsimus in descriptione rerum ecclesiasticarum. Insuper, aperuit thesauros quos congesserant pater et patruus eius, et coepit divitias dispergere quasi ventilabro, non tantum militibus, sed et mulieribus et pellicibus et cantatricibus: nam vir erat lascivus. Addictus erat astronomiae, magiae, astrologiae.

* p. 341.

Et anno 1096°, mortuus est Mahdi; et celata est mors eius multis diebus. Et regnavit post eum Musa filius eius.

(*Explicit tomus prior.*)